

EXERCITATIO ACADEMICA
DE
CAROLO PRIMO
IMPERATORE
VIRTVTIBVS AC NAEVIS
MAGNO

QVAM
DEO AVSPICE
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
FRIDERICO
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE COMITE
CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGENHAINAE NIDDAE
SCHAVMBVIRGI AC HANOVIAE

PRAESIDE
CONR. FRID. ERN. BIERLING

LOGICES AC METAPHYS. PROFESS. ORDINAR.

HODIE ACAD. PRORECTORE

PVBlico PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

FRIDERICVS LEOPOLDVS GEORGIVS
L. B. DE WARTENSLEBEN.

IN ACAD. ERNESTINA D. XII IVLII A. R. S. c1o10ccxxxviii.
H. L. Q. C.

RINTELII TYPIS IOH. GODOFR. ENAX ACAD. TYPOGR.

ist. Germ.

102,24

~~102,24~~

H. Germ. Hist. Imper. A. 60(7)

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DOMINO
IOANNI CONRADO
S.R.I. LIBERO BARONI
DE STRÜNKEDE,

AVGVSTISSIMI BORVSSIAE REGIS IN SANCTIORI
CONSILIO STATVS BELLII AC PACIS ADMINISTRO
REGIMINIS IN DVCATV CLIVIAE ET COMITATV
MARCKIAE SVPREMO PRAESIDI

DOMINO HEREDITARIO IN STRÜNKEDE HERNEN
CASTROP MARNICKS IODINGEN ET PÖPELENCKHAVSEN

DOMINO AC AVVNCVLO SVO MAGNO
INDVLGENTISSIMO ATQVE BENIGNISSIMO

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

PIETATIS AC OBSEQVII CAVSSA IN RELIGIOSI CVLTVS

MONVMENTVM

DAT DICAT DEDICAT

AVCTOR

F. L. G. L. B. DE WARTENSLEBEN.



PRAEFATIO.

Historicorum scripta qui consulunt, non vnum habent scopum, sed prouti homines diuersae indolis sunt, ita et saepissime accidit, vt egregiorum auctorum lectio parum vtilitatis secum ferat. Multi, vt tempus tantummodo fallant, historicum quendam in manus sumunt, haud considerantes, num vera vel falsa sint ab ipso tradita, potius felices se reputant, si memoriam exemplis onerarunt, quorum ope deinde illos delectare possunt, qui in otio viuunt, nihilque curant, quam quod voluptatem parit. Alii quando historicum euoluunt in phrasibus notandis ac colligendis industriam suam exercent. Non damno illud institutum, sed potius illos, qui flores amoenissime per historicos praesertim latinos, sparsos colligunt, laudo! Hoc tamen adfirmo, qui nihil aliud agit, finem exoptatum haud consequitur, ac illud institutum cum scopo praestantissimorum auctorum pugnare, longa probatione haud indiget. Lau-
A dandi




dandi igitur ac summis encomiis euehendi, qui utilissimam hanc disciplinam alio modo pertractant, gratiaque Numinis celebranda, quod excitauerit aureo hoc literarum saeculo magno numero egregios viros, quibus de meliori luto praecordia Titan finxit. Criticus nunc debet esse historicus, ac ipsius officium est, omnia seuerè examinare, ac instar Herculis monstra, fabulas puto, debellare. Pragmaticè quoque omnia considerat, et hoc modo non solum suam, sed et aliorum acuit moralem et ciuilem prudentiam. Nam historia non consistit in sterili et otiosa rerum variarum notitia, sed dux nobis debet esse ad maiorem et sapientiam et prudentiam. a) Exinde vero patet arctissimam esse inter historiam et philosophiam, praesertim moralem connexionem. Quemadmodum enim philosophia praecepta, ita historia exempla tradit, regulae prudentiae et morum, iusti, decori et honesti ex philosophia haustae per facta historica illustrantur, et in plena quasi luce collocantur. Istaè vero regulae faciunt, ut de actionibus ab historicis in litteras relatis prudenter iudicare queamus, nec sola exempla prudentes reddunt, sed cum praeceptis debent coniungi, et de factis rectè ac rite iudicari, quod pertinet ad officium politici. b)

Histo-

a) vid. HEVMANNVS, decus illud sacrae ac elegantioris eruditionis *in prolegom. histor.* §. 17. *seqq.*

b) conf. illustriss. L. B. ab HAVS, iam potent. magnae Brit. Reg. Ministri status intimi *diff. de erud. polit.* §. 10. quam in hac acad. sub praef. b. D. BIERLINGII a. 1708 ventilauit.



Historia igitur nihil aliud est, quam philosophia exemplis vtens, nam schola quaedam ciuilis prudentiae proponitur in eius cuius vitam describimus exemplo, vt nulla dari plenior informatio possit. c) Praesertim hoc vsu venit, quando historiam ciuilem ea qua par est industria consideramus, nam ibi occurrunt imperatores, reges, principes, fortissimi belli duces, ac ii, qui rempublicam consiliis prudenter gubernarunt. Eorum vita, quasi speculum est naturae humanae, et exempla bonarum et malarum actionum, prudentum et astutarum magna heic prostant copia. d)

A 2

tur,

c) vid. MORHOFIVS *polyh. litter. Part. 1. cap. 19. §. 10. seqq. Tom. 1. p. 237. 238.*

d) Aurea cedroque plane dignissima sunt illa LIVII verba in praef. *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vitas.* Et ita quoque sentit POLYBIUS, qui praeter alias egregias obseruationes et sequentem adfert, quae *Lib. 1. cap. 35.* extat, ac in vers. Lat. ita sonat: *Equidem ista commemoravi, vt qui hos Commentarios legerint, meliores fiant: nam quum vniuersis mortalibus propositae sint ad proficiendum rationes: per proprios casus aut per alienos: euidentior quidem illa est, quae per propria ducit infortunia: at tutior illa, quae per aliena. Itaque viam priorem sponte sua nemo vnquam debet ingredi: magnis enim eiusmodi correctio laboribus constat ac periculis. Posterior semper nobis captanda: per quam sine vlla noxa id quod melius est cernere, vni-*
cuique



tur, qui gloriosas actiones tot magnorum virorum rite pensitat. Miram virtutis vim admiratur, quae vel repugnante natura, quod caducum est, reddit immortale. Vitam itaque laudabilem consecrari debet princeps, ut lux sit in hoc mundo, nam cetera ipsi statim adsunt, vnum insatiabiliter parandum, prospera sui memoria et fama. Certus tunc esse potest, si nihil persona sua indignum admittit aut cogitat, de illa, deque suis actionibus et operibus, saeculorum omnium et omnium populorum locuturam esse historiam. Principes alios superiores non habent, nisi Deum et famam. Si soli, poenae et infamiae metu ad honeste operandum eos obligant, quo fit, ut ab historicis saepe magis, quam a suis sibi metuant hostibus, magisque calamum formident, quam gladium. Solos digitos calamo armatos Rex Balthasar viderat, e) et licet nondum sciret, quid scripturi essent, ita tamen conturbatus fuit, ut toto corpore contremisceret, et compages renum eius soluerentur. Verum si et Deum et famam susque deque habeant, nihil ab illis recte geri poterit, nam absque Deo quicquid est, ignorantia est, et qui famam

cuique licet. Quod reputantem, sic apud se quemque statuere oportet: pulcherrimum disciplinae genus esse ad veras vitae rationes cognoscendas, peritiam ex historia collectam, quae gestorum veram et exactam narrationem continet. Sola namque haec in omni tempore ac quocunque rerum euentu nullo tuo incommodo diiudicandi id quod melius est facultatem tibi largitur.

e) Dan. v. 6.




mam negligit, virtutem negligit. Honeſta gloriae cupiditas omnem a vitio aut iniuſtitia cauet maculam, nec ille principatu dignus eſt, quem nec conſcientia ſtimulat, nec incitat gloria. f) Quemadmodum vero nihil in rebus humanis omni ex parte perfectum ac beatum inuenitur, ita et illi, qui Dii terreſtres vocantur, ſuis haud carent naeuſ ac vitiis. Nam ſi nullus mortalium ſine iis naſcitur, optimus autem ille, qui minimis vrgetur, nemo facile negabit, et ſummo loco poſitos iis quodammodo eſſe obnoxios. Quicumque igitur in ea perſuaſione eſt, virtutes ſileri haud debere, ille etiam concedere debet, praua dicta factaque ad poſteritatem eſſe transferenda, nam ſuum cuique decus poſteritas tandem reſpondit, ibi neque adulationi nec obſectationi amplius locus conceditur, minimeque peccant in manes virorum ſummorum, qui naeuos eorum debita cum animi modeſtia oſtendunt. Ego de ſpecimine quodam academico meditatus praesentem materiam prae aliis arripui, mihiſque animus eſt oſtendere *Carolus fortiffimum Imperatorem et virtutibus et naeuſ magnum fuiſſe*. Cum enim ab ineunte aetate ſtudio hiſtorico probe innutritus, poſtea ſolidam diſciplinaram philoſophicarum tractationem propter
com-

f) Ideam principis chriſtiani egregie ſiſtit DIDACVS SAAVEDRA in *ſymbolis politicis*. Quod et peculiari diſſertatione fecit IO. GVIL. GOEBEL, iam celeb. in acad. Iulia ICTus in peculiari diſſ. quae hac in academia 1704 prodiit, ac titulum gerit: *Idea principis virtuofi*. Alios ſicco pede praetereo.

commune ac fororium vinculum cum illo coniunxe-
 rim, hoc thema mixtum mihi eo magis arrisit. Vi-
 deri equidem possem, iliada post Homerum scribere
 et aliorum compilare scrinia. Prodiere scilicet per-
 ill. Cancellarii de LVDEWIG, illustriss. L. B. DE BÜNAV,
 SCHMAVSSII, STRVVII, HERTII, COCCEII, PFEFFIN-
 GERI, LEHMANNI, WERLHOFII, CONRINGII, GLA-
 DOVII, GLAFEYI, HAHNII, DE AMBEER, KOEHLERI,
 GVNDLINGII, vt alios tacitus praeteream, virorum
 fane praestantissimorum, et meo elogio longe maio-
 rum, commentationes ad historiam et statum im-
 perii nostri spectantes. Si omnes vel incidenter, vel
 vberius de Carolo locuti sunt, ac cum applausu or-
 bis eruditi multa alias incognita in lucem protule-
 runt. Sed quantum meum ab illorum differat insti-
 tuto ipsa collatio et inspectio vnumquemque abun-
 de docebit. Vt autem omnia tanto rectius fiant et
 perficiantur ab omnium summe perfecto, omnium-
 que summo perficiente, calido precor pectore, vt
 suppleat meas perexiguas vires summi
 perfectio.

CON-



CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

- I. *De CAROLO M. eiusque familia in genere quaedam proponuntur.*
- II. *Vera notio vocabuli virtutis suppeditatur, et quomodo heic explicandum, ostenditur.*
- III. *Qui Magni appellantur in historia, saepissime magnis naevis ac vitiis dediti fuerunt.*
- IV. *Inter virtutes Caroli merito locum habet fortitudo bellica.*
- V. *Nam per illam acquisiuit Patriciatum ac Imperatoriam dignitatem.*
- VI. VII. *Illa res explicatur uberius.*
- VIII. *Legibus etiam reipublicae prospexit.*
- IX. *Iudicia constituit.*
- X. *Litterarum studia promouit.*
- XI. *Naevis adnumerandum, quod multa bella iniusta praecipue Saxonicum gesserit.*
- XII. *Plura de hac materia afferuntur.*
- XIII. *Misera facies illorum temporum, ubi superstitio erat religio dominans, describitur.*
- XIV. *Institutio Iudicii Vehmici consideratur.*
- XV. *Notantur excessus voluptatis in Carolo, ac quae intuitu liberorum eius calculum haud merent, afferuntur.*
- XVI. *Conclusio Dissertationis.*

§. I.




§. I.



Carolus fuisse magnum nomine, factis, amplitudine territorii et staturae proceritate nemo facile in dubium vocabit, qui ab egregiis scriptoribus tradita, rite ac recte considerat. Et haec fuit causa, cur antiqui auctores eum iam appellauerint Dominum praecelsum, Regem magnum, quem Deus amavit et exaltauit, et magnum principem et amabilem cuncto populo christiano per uniuersum mundum fecit. *g)* Non solum populi illius imperio subiecti magna ueneratione Carolum profecuti sunt, sed et exteri maiestatem Imperatoris comiter coluerunt, et hac ratione ostenderunt, quam magnus sit hic princeps in oculis illorum. *b)* Nullum super-

g) Vid. *Scriptores coetaneos annalium et hist. Francorum*, quos P. PITHOEVS edidit p. 230.

b) *Lib. cit. p. 19.* sequentia extant uerba: DCCCVII *Aaron rex Persarum Papilionem et tentoria atrii vario colore facta mirae pulchritudinis Imperatori misit. Erant enim bis sine omnia, tam tentoria, quam funes eorum, diuersis tincta coloribus. Pallia quoque serica multa et pretiosa, et odores ac unguenta et balsamum, nec non et horologium ex auricalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII horarum cursus ad clepsidram uertebatur, cum totidem aereis pilulis, quae ad completionem hora-*



supereſt dubium, Carolum fuiſſe Francum, qui populus originem ſuam Germaniae debet, ac ex diuerſis nationibus in vnum corpus conglutinata eſt illa Francorum ſocietas, primo militaris, deinde ciuilis, paruaque initia magnis progreſſibus occaſionem dederunt. Fabuloſas deriuationes aliis inueſtigandas relinquo, illa enim demum certa ac explorata ſententia eſt, veterem Franciam inter Rhenum Viſurgim atque Albim requirendam eſſe, nec alibi magis quam in Weſtphalia, vicinisque ad Ifalam et Friae oras aut Rheni oſtia regionibus Francos reperiri. Omnis autem Francia merito quadripartito traditur. Prima trans-Rhenana, eaque antiquiſſima Francia, altera Gallicana minor, tertia Gallicana maior, et quarta Francia noua, ſeu orientalis Germania. Docent quoque omnes circumſtantiae veteres Francos fuiſſe homines Germanos valde bellicoſos, victores non tantum Romanorum, ſed et triumphatores totius Galliae et Germaniae. i) In ſtirpe Merouingica
B prae-

rum decidebant, et caſu ſuo ſubiectum ſibi cymbalum tinere faciebant, additis in eodem eiſmodi numeri equitibus, qui per XII fenestras completis horis exhibant, et impulſu egreſſionis ſuae totidem fenestras, quae prius erant apertae, claudebant.

i) vid. FERD. L. B. DE FÜRSTENBERG Episc. Paderb. et Monast. monum. Paderbornensia p. 76. ſepp. Plurimi nomen Francorum a ſtudio libertatis deriuandum eſſe cenſent, ſed WENDELINVS in glossar. p. 154. aliam fo-
vet opinionem: Francus, dicit, vox paſſim frequens
quid

praecipue eminuit Chlodouaeus magnus, qui altioribus rebus erat destinatus quam antecessores, nam non solum per heroica facta sibi famam parauit, sed et propter externam Christianismi professionem titulum regis Christianissimi et primogeniti ecclesiae filii promeruit. *k)* Sed illius potentia in posteros haud

*quid sonet est operae pretium intelligere penitius. Ety-
mon descendit a voce nostra Atuatica Branghe, quod
est acerbum, asperum, trux, ferox. Immaturus fructus
ut sunt pruna illa siluestria, quaeque fauces obstrangu-
lant vranghen vocamus, et cum huiusmodi poma de-
gustata exspuimus tis fuer gelyct ein vrang dicimus,
acidum et acerbum est instar Frangae. Non reiicimus
in totum illam sententiam, sed quando sequentia
subiicit verba: Nimis errant ne dicam delirant, qui
Francum interpretantur liberum. Nunquam Francus
lingua nostra liber intelligitur, nisi praecedat vry, di-
camusque icf ben vry end vranct, non possumus ap-
probare illam duritiem. Facillime etenim istae opi-
niones possunt conciliari. Nam Franci tam acriter
haud pugnassent, neque tantam ferociam exercuis-
sent, nisi eos studium libertatis incitasset. Edidit
LEIBNITIVS diff. de origine Francorum. Hannou. a.
1715. et eos ad Moringiam prope Albim et ultra
translocavit. Sed GVNDLINGIVS in Gundlingianis
Tom. 1. p. 234. seqq. illum refutavit. LEIBNITIVS re-
sponse sua dignatus est illam inquisitionem, quae
existat loc. cit. Tom. 2. p. 61. seq. GVNDLINGIVS autem
ultimo loco quaedam reposuit l. c. p. 295. seqq. ac fa-
teor vltimam opinionem probabilitate magis niti
quam priorem.*

k) Sanctitas immo et pietas Chlodouaei non fuit adeo magna



haud fuit translata, regnumque Francorum valde concussum fuit per nimias diuisiones prouinciarum. Reges etiam ignauiae ac turpi otio fuerunt dediti, erant quasi pecora quae natura prona ac ventri obedientia finxerat, omnisque potestas penes Maiores domus. Cum igitur imperantes solo regio nomine contenti essent, in immensum creuit horum magistrorum auctoritas, ac Pipinus Caroli M. parens tandem exsecutus est consilia, quae auus Pipinus et Carolus Martellus pater meditati sunt, ignauiamque Childerici ita traduxit, vt ipse tot factis clarus, ac miram apud omnes beneuolentiam promeritus, et se simul Regem constituerit et Childericum cum vxore

B 2

ton-


magna, ac in illius conuersione occurrunt miracula extra omne dubium ficta, quod etiam haud negant Galli. NAVDE dans *Considerations politiques sur les Coups d'Etat* p. 151. ita loquitur: *Continuant doncques a parler de cette conuersion de Chlouis, suiuant les sentiment de Pasquier, et de quelques autres Politiques, nous dirons que l'Escu descendu du Ciel, le miracle du Sacre et l'Auriflamb, dont Paul Emile ne dit mot, furent de petit coups d'Etat, pour autoriser le changement de Religion, du quel il vouloit se seruir comme d'une puissante machine pour ruiner tous les Petits Princes, qui estoient ses voisins.* IN MEZERAY *Abrege Chronol. de l'histoire de France* Tom. 1. p. 28. occurrit effigies Chlodouaei cum sequenti epigrammate:

*Combattre et triompher fut tout mon entretien,
L'acquis les noms de grand d'Heureux, de Redoutable,
Mais ces titres d'honneur n'ont rien de comparable,
Au titre glorieux de premier Roy Chrestien,*

tonsum monasterio incluserit an. DCCLII. Cum autem initio Francorum animos non statim in partes suas pertrahere posset, Zachariae III. Pontificis auctoritatem adhibuit, quae, postquam semel hominum animis infixata haerebat opinio, caelo datum sedi Romanae rerum omnium moderamen, Francos ceterum titubantes vacillantesque ad Pipini consilia impulit. Hinc postea in Pipino atque Carolo adeo viguit memoria beneficii a Pontifice accepti, ut ei quovis modo assisterent, eiusque destinata promoverent. Tantum nocet principi ministri non frenare potentiam, nullaque capitalior est imperiorum ac regnorum pestis, quam nimia privati hominis auctoritas et potentia. Unusquisque et facillime videt Principes peccare contra omnes prudentiae regulas, quando talia officia haereditaria esse permittunt, nam sanctus Arnulphus filio Pipino Heristallio dignitatem illam reliquit, Pipino successit Carolus Martellus, postea Pipinus habenas imperii gessit. Ille genuit Carolum nostrum, qui monarchico imperio usus Francorum nomen celeberrimum reddidit, et de quo nunc ut plura afferam in medium, instituti ratio iubet. *l)*

§. II.

l) Conf. omnino IO. DAV. KOELERI, cel. Gotting. Profess. Exerc. geneal. *de familia augusta Carolingica antiquorum monument, auctoritate innixam* Altorf. 1725. hab. ubi stupenda diligentia omnia collegit. Alias Caroli magni tantae erant victoriae, tantus maiestatis splendor, ut proceres populusque Francorum eius nutu



§. II.


Vt autem omnis ambiguitas tollatur, paucis de vocabulo virtutis agendum erit. Virtus a vi ac robore mentis nomen habet, vnde et ita eam appellarunt Pythagorici. Sed vnde mentis illud robur? non aliunde sane quam a Deo. Ille rationem hominibus largitus est ad cognoscendum verum, largitus quoque est ad cognoscendum bonum. Non iuuat autem cognoscere bonum, nisi in illud feramur, illudque appetamus. Haec appetitio virtus est, quam ita definiunt: virtus est studium creaturae rationalis, obediendi iussibus diuinis, vel, est imperium rationis in perturbationes animi. Huic studio, quum obstent praua voluptatis desideria, Deus tam sapienter iussus et mandata sua temperauit, vt ad ea sequenda nos simul impellat exstimuletque, dummodo rationem,

nutu in omnibus adfurgerent, videbant Romani praefulis in eum reuerentiam, vicinarum, immo vero remotiorum gentium venerationem, institutorum prudentiam, regiminis felicitatem, religioni hinc ducebant sibi, tanti imperatoris placitis obsistere.



Teste enim EGINHARDO *cap. 21. summo omnium amore atque fauore et domi et foris conuersatus est*, cuius rei quoque exemplum existat *loc. cit. cap. 30.* Quicquid autem sit de praedominante Caroli M. potestate, consensum tamen ordinum imperii ab eius negotiis publicis plane abfuisse, scriptoribus eius aevi et documentis consentaneum non est. vid. excell. TREVERI *diss. de studiis imperii Rom. germ. ruinam procur. p. 64. 106. 108.*

nem, quae est vox Dei in mentibus nostris, audire, atque a Sirenum cantu, siue prauarum libidinum illecebris, nobis cauere velimus. Nihil mandat, nihil praescribit Deus homini nisi quod bonum est, ac salutare, aliter non patitur summa eius benignitas. Omnis igitur virtus eo tendit, vt feruet proportionem humanae naturae congruentem, atque hanc naturam magis magisque perficiat et ad propensiones homine dignas manu ducat. Ergo qui Deo paret vere liber est, quippe nihil faciens, nisi quod vtile sibi est ac salutare. Praemia sequuntur virtutem, incommoda et poenae vitium. Vnde quemadmodum huic deditus semetipsum reddit infelicem, ita qui virtutem sectatur, praemium a Deo accipiet. Non opus erit virtutum inire numerum, vnicum quod Deus et ratio praecipiant, quod ipsa humanae naturae indoles requirit, est: AMA. Ama Deum omnis boni auctorem, cuius tam proluxa existant sui erga te amoris documenta, et stude pietati: ama teipsum, nam caritas a se ipso incipit, et operanda temperantiae: ama alios homines, eiusdem tecum naturae participes, et erga omnes obserua iustam aequitatem. *Pietas* regina omnium virtutum est verus et sincerus Dei cultus fluens ex recto de Deo sensu. Quis non colat ens, quod sapientissimum, beneficentissimum, potentissimum? Talem enim Deum esse, ratio dicitur, et omnia quaecunque oculis nostris subiiciuntur, demonstrant; quippe quae Deum inconspicuum visibilem reddunt, manibusque palpandum offerunt. Cultus ille consistit in venera-

nera-




neratione , obedientia , fiducia. Veneramur ens
sapiantissimum, cuius reuelatione, siue per rationem,
siue per scripturam nobis innotescat, via ad virtutem
et felicitatem panditur. Obedientia metuque filiali
prosequimur benignissimum patrem, qui vult, vt
nobis quam optime sit, et non tantum necessitati,
sed et commoditati nostrae abunde prospexit, seque
hodogetam nostrum per totam vitam exhibuit.
Colimus potentissimum Dominum, qui e tot malis
nos liberat, qui nos tuetur, suaque prouidentia cun-
cta gubernat. *Temperantia*, vocabulo paullulum
latius accepto, duabus virtutibus absoluitur, fortitu-
dine in aduersis, moderatione circa iucunda. Epi-
ctetus dicit: sustine et abstine. Sustinenda sunt non
raro ingrata, sed vtilia: abstinendum quoque a gra-
tis, sed noxiis. Priorem virtutem fortitudinem ap-
pellauimus, alio sane sensu quam vocabulum accepit
Aristoteles. Is enim solam fortitudinem bellicam
intelligit, quae fortitudinis quidem species est, sed
omnem huius virtutis ambitum haud absoluit. For-
tis nobis dicitur, qui praesentia mala non abiecto
mentis robore tolerat, imminetia expectat. Lau-
dem igitur meretur, qui patientiam in aduersis ex-
ercet, maiorem laudem, qui magnanimitatem. Et
ita nostra quoque fortitudinis definitio habet mul-
tum heroici. Quis neget martyres Christianos,
quis neget Ioannem Hussum et Lutherum heroes
fuisse? Moderatio circa iucunda vel continentia est,
quam et castitatem vocamus, quae furtiuis amoribus
et illicitae veneri medetur; vel temperantia siue
fo-



fobrietas, quae in cibo et potu modum tenet. Nec ideo pane et aqua vescendum, aut simulata austeritas et imperata ieiunia obseruanda sunt. Vir sapiens victu parco, si alium non habet, contentus, lautitiis adfluens, temperans est. Non potest viuere delicate, qui non viuut temperanter; quamquam temperanter viuere queat, qui delicate non viuut. *Iusta aequitas* nititur principio morali: quod tibi vis fieri, alteri feceris. Fluunt hinc variae virtutes, humilitas, mansuetudo, beneficentia, simplicitas, gratitudo reliquae. *m)* Quicumque igitur verae ac haud fucatae virtutis cultor est, necessario iam recensitas coniungere debet. Virtus enim vnica tantummodo est, quamuis dentur variae modificationes, constans ac sincera voluntas adesse debet, ac omnes actiones ex illa emendata mente tunc prono nexu fluunt. Quomodo igitur possibile est, dicet aliquis, virtutes ac naeuos coniungere, ac tam diuersas res de vno subiecto praedicare? Carolus M. non potuit esse simul cultor virtutis strenuus ac indefessus, de quo simul adfirmatur, eum insignibus naeuis fuisse deformatum. Sed bona verba quaeso. Vocabulum virtutis heic sumitur de actionibus externis, non autem de internis, quia de illis non iudicat ecclesia, nec

m) De his peculiaribus dissert. aretologicis erudite egit cel. HEVMANNVS. Conf. quoque *philos. moral.* quae secundum principia Thomae. Halae 1723. prodit, et cuius auctor fuit SCHNEIDERVS p. 582. *seqq.* nec non HEINECCII *elem. phil. moral.* §. 217. *seqq.*



nec historia. Adhibetur illa vox de illis egregiis qualitatibus, quae influunt in salutem reipublicae, ac felicitatem ciuium. Non autem ex vna alteraque actione iudicandum de propensione hominis, sed ex longa earum serie, et tunc apparebit, magnos etiam naeuos occurrere apud illos, quorum existimatio ac fama alias magna est. Ac de hisce rebus etiam disserere debet historicus, nam historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae et nuncia vetustatis iure meritoque vocatur. n)

C

§. III.


- n) Notissima sunt illa CORN. NEPOTIS verba in *Alcib. c. 1.* *Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus.* Et haec sane sententia in multos quadrat. Ita quoque de Lucinio Muciano loquitur TACITVS *histor. lib. 1. c. 10.* *Malis bonisque artibus mixtus, nimiae voluptates, cum vacaret quotiens expedierat, magnae virtutes.* Externum vtpote virtutis habitum induunt homines, ac incautos saepissime fallunt, nostris praesertim temporibus, vbi rerum vera vocabula amissimus. Egregie ven. MOSHEMIVS in *der Sittenlehre der heiligen Schrift p. 27.* *Es ist keine Tugend, die nicht eine gleichheit mit gewissen Fehlern haben sollte, vvomit uns unser verderben hintergeht. Und es ist kein Laster, dem sich nicht die Farbe dieser oder iener Tugend anstreichen lässt. Eine Tugend, die zu hoch getrieben vvirtd, vvirtd zum Laster. Und ein Laster, das einen behutsamen Liebhaber hat, bekommt leicht den glanz einer Tugend. Die Grenzen der Freygebigkeit und der Verschwendung stossen aneinander, und der geizige vveiß die Kunst, die Laster in den Augen der ungeübten zur Klug-*

Klug-

§. III.
Omnes paene qui in historia Magnorum titulo insigniti fuerunt, virtutibus ac vitiis immo et naeuis famam consecuti sunt. Alexander M. exemplo suo hanc thesin confirmat. Quis enim fortior Alexandro, ac minus trepidus, quum subeunda essent pericula? castitatem, frugalitatem, liberalitatem, iustitiam, clementiam illius orbis domitoris multi depraedicant. Sed postea per fortunam mire fauentem, locorum illecebras et adulationem eum in deuia abreptum esse quis nescit? o) Constantinus M. an fuerit

Klugheit zu machen. Eine unordentliche und überflüssige Hize des Gemüths, die aus ganz nichtigen Beueegungen kommt, bringt zuweilen Würckungen hervor, die sich sehr mühsam von einer gesetzten und vernünfftigen Herzhaftigkeit unterscheiden lassen, und ein standhaffter Bekenner der Wahrheit hat zuweilen das Unglück vor einem trozigen und eigensinnigen Kopf gehalten zu werden.

- o) Aliter de eo iudicant historici, aliter panegyristae. Eius immensam ambitionem, dominandi cupiditatem, reliquaue vitia non tangunt CVRTIVS et alii, virtutes tantummodo extollentes. Sed ex vero iudicant SENECA *de benef. lib. 1. c. 13. epist. 119.* IUVENALIS *Sat. 10. vers. 168. seqq.* BOILEAV *Sat. 8. vers 99. seqq.* Conf. quoque CLERICI *art. crit. vol. 2. p. 688. seqq.* PRIDEAVX *hist. vet. Test. Tom. 1. p. 622. 625. edit. germ.* BAYLE *Diction. voc. Aristandre, Macedoine* EVREMONI *oeuvres Tom. 1. p. 191. seqq. Tom. 4. p. 29. 30.* NAVDEI *coups d'Etat p. 137. seqq.* CELLARII *doctam diff. de virtutibus ac vitiis Alex. M. quae praemissa est eius edit. Curt, BIERLINGII pyrrh. hist. p. 205. 310.*



fuerit imperans omnibus virtutibus condecoratissimus? non consideratur a multis tanquam thema historicum, sed multorum animis infixam sedet opinio, illum laedere veram fidem, qui dubitationem hac de re institueret. Sed nulla consequentia est: Hic Imperator primus fuit qui Christianorum sacra amplexus est, ergo omnes illius actiones verae virtuti ac regulis Christianismi consentaneae fuerunt. Certum enim est, principes multos ad Christianam religionem conuersos totum suum aulicissimum, hoc est, ambitionem, luxum, voluptates, violentiam, dolos, ingenium militare, cetera vitia aulica, quae cum fundamentalibus et primis Christianae pietatis principiis nullo modo consistere possunt, secum transtulisse in ecclesiam, hisque non obstantibus agnitos cultosque fuisse tanquam Christianos, pios, religiosos primi ordinis. p) Et quid de Ludouico M. Gallorum rege statuendum sit, et me non monente vnusquisque videt. Fuit sane magnus virtutibus, prudentiae laude eminuit, magnificentia ac liberalitate claruit, Litterarum studia egregie promouit, ac in omnibus conatibus mira felicitate usus est. Sed quis bella iniustissima eius, excessus porro voluptatis,

C 2

tis,

p) De Constantino iudicia variant. Scriptores christiani praesertim *Eusebius* laudibus in coelum eum extollunt. Alii, praecipue *Zosimus* aliter sentiunt. Media via et haec tutissima erit.



tis, ac denuo vexationes religionis caussa crudelissime institutas, vnquam defendet? q)

§. IV.

Nunc virtutes Caroli M. considerandae veniunt, primoque loco occurrit fortitudo bellica, qua praecipue eminuit, et quam insolita felicitas semper comitata est. Bellum violentia quaedam est fini hominis contraria, hunc siquidem Deus ad suam imaginem creauit, et imperium ei dedit in haec res inferiores, non vt eas bello destrueret, sed pace conseruaret. Non eum creauit belli, sed pacis caussa, non ad furorem, sed mansuetudinem exercendam, non ad iniuriam, sed ad beneficentiam. Quare nudus omnino nascitur sine armis, quibus laedat, et sine duriori pelle, qua se tueatur, ita alienae opis, gubernationis et institutionis indigus, vt adultus etiam et natu grandior solus


q) Mirandum praesertim Regem Reformatos tam acriter vexasse. PVFENDORFIUS *de reb. Brandeb. lib. 19. §. 16.* sequentes adfert circumstantias: *Reformati omni studio connixi sunt, vt summa fide ac promptissimo obsequio gratiam regis mererentur, turbis praesertim Condeanis, quando iam ipsius regis natales sollicitabantur, cum laudatissimis conditionibus in istas partes sollicitarentur. Quo nomine et rex plausibilem valde declarationem istis dederat, his inter alia verbis: subiecti nostri Reformatae religionis certa documenta sui affectus ac fidelitatis erga nos dederunt, et peculiariter praesenti occasione, quibus valde contenti sumus. Sed praua ambitio, Clerus Pontificius, aliaeque rationes eum tandem permouerunt ad crudelitatem illam exercendam. vid. WEISMANNI *hist. eccles. Tom. 2. p. 999. seqq.**



solus absque industria aliena viuere nequeat. Eadem necessitas et indigentia hominem impulit, vt societatem et amicitiam ciuilem cum aliis coleret, in qua communi omnium labore necessaria reperirentur vitae commoda, et felicitas ista politici arctioribus amicitiae et subsidii mutui vinculis eos inuicem adstringeret. Et ne forte vna aliqua prouincia internis suis elata opibus aliarum communicationem sperneret, inter varias dona illa dispertiuit, quo factum denique, vt cupiditas et indigentia opum istarum et deliciarum excitaret commercia, et instituta inter nationes communicatione fieret hic orbis familiaris quaedam domus ac communis omnibus. Quia vero ad eiusmodi negotiationes necessum erat, vt sese mutuo intelligerent atque internos amoris et beneuolentiae affectus inuicem possent prodere, largitus est homini Deus vocem articulatam, blandam et suauem, qua animi sui sensa exprimeret, risum, quo comitatem suam, lacrymas quibus suam commiserationem, manus, quibus fidem suam et liberalitatem, genua, quibus obedientiam suam testaretur. Quae omnia signa sunt animalis ciuilis benigni et pacifici. Verum quia apud homines per multos, ipsis etiam belluis immaniores plus appetitus sensituius potest, quam ratio, adeo vt absque iusta caussa contendant opprimere alios iisque dominari, omnino necessarium fuit bellum ad defensionem naturalem. r) Quum enim inter gentes principesque

nemo

r) CICERO *de offic. l. I, c. II. Duo sunt genera disceptandi, unum per*



nemo existat, qui ortis controuersis iudicium sibi sumere queat, laesi sibi ipsis auxilio esse debent, auxilii vero proprii effectus est bellum. Ex quo sequitur, eos, qui bellum esse licitum negant, homines sibi repraesentare, non quales reperiuntur, sed quales esse debebant. Exfulare debent circa considerationem harum rerum figmenta reipublicae Platonicae vel Vtopicae. Bellum distingui solet in offensivum et defensivum. Satis clarae sunt utriusque definitiones. Offensivum geritur contra eum, qui iniuste laesit, neque ullam dare vult satisfactionem. Defensivum geritur aduersus iniustum aggressorem. Ceterum applicatio ad casus obuenientes habet plurimum difficultatis, multaque adhuc moneri possent circa illam diuisionem, si id huius loci esset. Vtraque pars obtendere solet, se versari intra terminos defensionis vel offensionis iustae. Quis autem hoc sibi sumat, ut hunc iniuste arripuisse arma sit dicturus? num hostis? at hic testem in propria causa agit? num aliae gentes? at hae pares sunt, par vero de pari non potest ferre sententiam, iuris effectum habentem. Sed bellum punitivum ac religionis causa motum repugnare iuri naturali operosa probatione haud indiget, gentes quum inter se aequales sint, nulla poena hic locum habet, quippe quae infligitur inferiori a superiori. Sine dubio bellum

per disceptationem; alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius si uti non licet superiori.



bellum punitium originem debet Graecorum ac Romanorum superbiae, Barbaros quos vocabant, per bella punientium. Istam agendi rationem deinde Clerus Pontificius e re sua esse vidit et imitatus est. s) Et infra ostendam a Carolo nostro et hac in re multoties peccatum fuisse. Sed ego hoc in loco fortitudinem Caroli et cum ea coniunctam felicitatem in concreto confidero minime in abstracto, et quis tunc negabit eum acerrimum in praeliis fuisse, et summi ducis officium et fortis militis abunde expleuisse? Comparavit igitur sibi per illam bellicam fortitudinem multas prouincias, magnam nominis famam ac tandem summum illud Imperatoris Romanorum fastigium ascendit, de qua re nunc distinctius quaedam monenda erunt.

§. V.

Hic ante omnia species facti proponenda. Narses eunuchus contumeliae alicuius impatiens Longobardos t) in Italiam inuitauit, qui circa a. DLXVIII. aduentarunt, nouumque regnum condiderunt in ea parte Italiae, quae olim Gallia Cisalpina, hodie vero
Lom-

s) GROTIUS quoque bellum punitium admittit in *I. B. et P. l. 2. c. 20. §. 40.* sed non satis recte distinxit inter poenam et vindictam. vid. BARBEYRAC *ad Pufend. Tom. 2, p. 342.* HUBERVS *de iure ciuit. ex ed. Thom. p. 500.* IO. SCHMIDIUS in *diff. de hac mat. Lips. 1714.* hab.

t) Hunc populum ex Germania originem trahere nemo facile in dubium vocabit. Seriem regum etiam breuiter recenset CELLARIUS in *hist. med. aeni p. 260. seq.*

Lombardia dicta, et mari Ligustico, Apennino et Alpibus concluditur, in qua sedes regia fuit Pavia, quae et Ticinum appellatur, duravitque istud regnum per annos fere ducentos. Interim Narsete amoto, qui in Italiam Longobardos exciuerat, Iustinus II. Imp. Longinum Patricium ab vrbe Constantinopolitana Exarchum in Italiam Rauennam, delectam iampridem Imperatorum in occidente sedem, submisit. Erantque hi Exarchi graeci praefecti, qui vtcunque Longobardis resistentes imperii illic reliquias tutabantur. Sed per impotentiam, auaritiam ac libidinem maiora quam hostes ipsi Longobardi damna suis afferebant. Primo enim Graecorum Exarchi petulantia aliisque vitiis totam fere Italiam a se abalienarant, quae acerrimo odio flagrabat aduersus graecos, et excutiendi Imperii occasionem indies expectabat, nihilque deerat multitudini quam Dux, quem Exarchorum auaritiae opponerent. Licet autem Graeci aduersum Longobardos vtcunque adhuc tutarentur Italiae partem, excutiendi tamen imperii consilium apud Italos maturuit, postquam Philippicus Bardanes ac Leo Isaurus publico edicto in oriente sanctorum imagines aboleuerant. ^{u)} Quod edictum postquam Romam pervenerat incredibile dictu est, quam incensus sit Gregorii II. P. R. animus, praesertim cum Imperatoris sententia a. DCCLIV. in 338. Episcoporum synodo


^{u)} vid. WEISMANNI *hist. eccl. N. T. Tom. I. p. 606.* qui egregie omnia persequitur.



nodo Constantinopoli firmata esset. Cumque Leonis consilium Gregorius per litteras cohibere non posset, Imperatorem subiecit anathemati, ac Romam et quicquid Italiae reliquum erat, a Graecorum abstraxit imperio, tributumque pendere iis ultra prohibuit. Facile erat Pontifici flectere pro arbitrio populorum animos, postquam sacer ille terror et religionis reuerentia cunctos inuaserat. Sed Longobardi inter hos Italiae motus vt extenderent imperii fines, ad arma conuolarunt, rati, nunquam meliorem exspectari posse regni propagandi occasionem, quam vbi mutuis diffidiis conuulsae partes. Luitprandus ergo Romam bis obsedit, sed Aistulphus iam toti Italiae intentus Rauennam, Exarchorum sedem, vltimo eorum Eutychio in Graeciam fuga elapso, occuparat, Romamque, quae sola restabat, acri obsidione premebat. Nunc Pontifex nouum quaerebat protectorem, eumque inueniebat in Pipino, nam Stephanus Zachariae III. successor in Franciam ad Pipinum se proripit, eiusque opem aduersus Longobardos implorat. Pipinus submissa ad Aistulphum legatione hominem monet, ne sedi Petri molestus sit, sed Roma abscedat. Aistulphus bellum sibi cum Graecis esse respondit, horum vrbes a se premi, esse sibi cum Pontifice amicitiam, simulque addidit: Quodnam esset Romanorum Pontificum imperium, Graeco Caesari eos recenti adhuc memoria paruissse? Interim tamen se copias ex Romanis finibus educturum, quod amoris in Pipinum ac beneuolentiae daret, sed Rauenna non abscessurum.

D


rum.



rum. Stephanus inaudita legati relatione indoluit grauius, quod fixum Aistulpho esset, Rauenna non abscedere, vnde subortis lacrymis Pipinum Petri non deserendi admonuit, qui an. DCCLV. magnis copiis in Italiam profectus Aistulphum adegit, vt fidem daret, se loca Stephano in quae praetendebat, redditurum. Sed Pipinus in Franciam redux datam ab Aistulpho fidem frangi inaudiit, vnde a Stephano litterae ad Pipinum missae, quibus ad sustinendam S. Petri causam grauius, additis etiam coelestibus minis, admonebatur, cumque moraretur Pipinus, additae statim aliae litterae, quasi ab ipso Petro e coelo scriptae, quae in fraudem confictae risum legentibus excutiunt. Ergo Pipinus motis denuo in Italiam copiis, Aistulphum armis coegit, vt locis abscederet, memorantque scriptores, Pipinum multas vrbes, cum pluribus pagis villisque Stephano tradidisse, velut ad patrimonium Petri pertinentes. v) Desiderium Aistulphi successorem, vltimum Longobardorum regem, Carolus noster domuit. Cum enim is arma in pontificem moueret, eique, quae Pipinus tradiderat, adimeret, Adrianus I. P. R. iactis primo incassum minis, Carolum M. in auxilium exciuit.

Ab

- v) Haec donatio erat realis, quemadmodum Constantini M. inter fictas collocanda. Laurentius Valla primus fuit, qui dubia formauit contra illam receptissimam opinionem. vid. FABRICII *biblioth. graec. Tom. 6. p. 4. seqq.* et adde BOXHORNII *hist. vniuers. p. 274. seqq.* qui inter citatos a Fabricio omissus est.



Ab hoc deinde Alpes superante victus Desiderius, atque Ticini quo fugerat, captus, Lugdunum relegatus est an. DCCLXXIV. vbi in exilio obiit. Carolus autem breuissimo temporis spatio totam illam expeditionem ad finem perduxit, miraue felicitate hac in re vsus est, adeo vt non solum titulus Patricii ipsi confirmatus sit, sed etiam splendida dignitas Imperatoris accesserit.

§. VI.

Vt omnia rite procedant, ostendendum est, quantum potestatis in Romanos ex Patriciatu obtinuerit, adeoque vocabuli ambiguitas est discutienda. Communis opinio est, Patricios esse dictos, quod ingenui essent ingenuorum patres, aut potius, quod suos patres ciere, et demonstrare possent singuli, vt qui ex genere nobili existerent. Aut denique a patronatu vel patrocinio, patronos enim appellabant eos, qui cum gubernationi et opi ferendae tum et protectioni praestandae praefecti erant. Et hi propterea dicti sunt Patricii, quod eos Imperator patres cieret. His verbis recensetur duplex significatio Patriciorum, quarum prior apud Romanos veteres vsitata fuit, qui Patricios dicunt esse idem, quod ingenuos ex centum patribus, quos Romulus Senatores elegit et instar consilii publici habuit oriundos, et hi fuerunt vel priuati, vel publici. In publicorum autem Patriciorum numerum postea fuerunt etiam adsciti alii graues viri, sed hoc discrimine, vt qui cooptatione tantum Patricii essent, dicerentur minorum gen-

D 2

tium,




tium, sicut genere siue sanguine simul et conditione tales, maiorum gentium Patricii dicebantur. Posterior autem significatio, postea in usu esse coepit, cum Patriciorum dignitas non amplius esset urbana, sed aulica, neque iure magistratus, sed proprio et dominatio potestatem usurparet, et in recentioribus historiis et Imperatorum constitutionibus nouellis saepius occurrit. Maxime namque Constantini M. tempore dignitas Patriciorum amplificata fuit, ut Patricii secundi essent ab Augustis et tum praefecto praetorii, tum episcopis praeponerentur. x) In primis autem Patricii nomen a modo gubernandi sumtum placuit, quia gratius est nomen pietatis, quam potestatis, ac Patricii sicut patres filiis, ita provideant reipublicae. Ab Imperatore autem vel Rege creatus Patricius etiam Imperatoris ac Regis pater dictus est. y) Porro ex hac consuetudine Imperatorum factum

x) IVSTINIANVS *Nov. 8.* *Non enim decens putauimus, ut hi quos in officium patrum prouehimus nostrorum, sub aliena sint potestate.* Imperatorem tamen tales Patricii recognouerunt, qui exinde respectu illorum primus Patricius appellari consuevit, sicut Henricus III. primum se Patricium urbis Romae dici voluit, referente ADAMO BREM. l. 3. c. 36. eiusdemque filius Henricus IV. iam a Pontifice coronatus Regem et primum Patricium urbis suae Romae se vocauit apud OTTONEM FRISING. *de gestis Frid. l. l. c. 1.*


y) CLAUDIANVS hoc eleganter de Eutropio Patricio exprimit:

*Praesidium legum genitorque vocatur
Principis, et famulum dignatur regia patrem,*



factum est, vt et Reges, quia iura principis in regnis suis obtinerent, et Imperatori subiecti non essent Patricii vocarentur, et de plenitudine potestatis non minus quam Imperator Patricios alios crearent, sicut apud *Cassiodorum* Theodoricus veteresq; Gothorum in Italia reges sibi patricios adoptasse leguntur. At postquam populus Rom. excusso Imperatoris Graeci iugo, et repulso exarchi vicariatu ad libertatem rediisset, nec tamen absque capite aduersus iniurias factis tutus sibi esse videretur, consilium de creando Patricio iniit, quod vt olim regium, ita tunc imperatorium nomen, factum erat inuisum. Itaque Carolum factum fuisse Patricium, vt regiam haberet potestatem, probari potest 1) descriptione Patriciae dignitatis, quae aequipollebat Regiae, populus quoque Romanus, ac P. M. Adrianus I. concessit ei, ac in eum transtulit omne ius suum ac potestatem. 2) Ab effectu. Nam ex potestate patriciatus omnia egit pro imperio, prouinciis Duces ac Comites praefecit, leges constituit, et Episcopos quoque ordinauit, Synodos conuocauit, ac vicarium siue praefectum Romae constituit. 3) A signis



2) In *annal. incerti auct.* sequentia leguntur: a. 77. *Lombardi obsidione pertaesi pariter cum rege Desiderio egrediuntur ad regem. Ille vero altera die cum hymnis et laudibus Dei urbem ingrediens thesauros regum repositos exercitui distribuit, et cunctum Italiae regnum adeptus in Franciam regreditur, ducens secum Desiderium cum coniuge eius. Adalgisus filius eius Constantinopolim fugit, vid. collect. PITHOEI p. 9.*



signis subiectionis papalis. Nam in annal. rer. a Carolo M. gest. An. C. 796. sequentia leguntur: a) *Leo qui defuncto Adriano Pontificatum susceperat, per legatos suos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romae urbis cum aliis muneribus regi misit, rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem et subiectionem per Sacramenta firmaret.* b) Tale fuit dominium, quod Romae Carolus tenuit, etiam ante Imperatoriam dignitatem, geminumque heic adest signum, quo Leo eum agnovit pro patricio et principe Romanorum, cuius esset Pontificum institutio. Primo subiectionis signo Leo pontifex denotavit Caroli potestatem externam circa res ecclesiasticas, nam claves mittit nomine ecclesiae. Alterum vero subiectionis signum misit nomine reipubl. nempe vexil-

a) vid. IVSTI REVBRI *collect. script. ad hist. Imper. pert. pag. 30.*

b) Per fidem suam Leo Pont. non intelligit fidem sibi debitam, sed Carolo praestandam, quod patet ex iisdem *annal. ad a. 801.* cum de Leone Pontifice in locum suum a Carolo restituto memoratur eos, qui eundem pontificem anno superiore deposuerant, in iudicium adductos, et habita de eis quaestione secundum leges Romanorum, ut laesae maiestatis reos, capitis damnatos fuisse, et his amplius additur: *Pro quibus tamen papa pio affectu apud Imperatorem intercessit, nam et vita et membrorum integritas eis concessa est, ceterum pro sui facinoris magnitudine exilio damnati sunt.* vid. REVBRI *collect. p. 33.*





vexillum, quo in temporalibus potestatem eius recognosceret.

§. VII.

Facile largior Carolum post inaugurationem vbi Imperator Romanorum factus, nec plus potestatis, nec plures ditiones accepisse, quam antea tanquam Patricius habuerat. Sed hoc tamen vnicuique patet, splendorem ac maiestatem eius exinde valde auctam fuisse, ac maiora cepisse incrementa. Praesertim cum Graecorum imperantes consenserint, eumque non aliter quam fratrem ac aequalem considerauerint. Multi statuunt Leonem P. R. imperium in Carolum M. transtulisse, nam cum Graeci nomine imperatorio sese indignos reddiderint, ab his merito ad Francos imperium a Pontifice veluti supremo domino esse translatum, qui illud velut feudum custodiret. Sed quamuis haud desint inter veteres Canonistas, qui totius mundi dominium ac ius Romano Pontifici tanquam Christi in terris vicario adscribant; tamen cum res transferenda, debeat esse in potestate transferentis, episcopus autem Romanus ius in imperium Romanum non habuerit, nec illud ideo in Carolum transferre potuit. Sed nec crediderim, Pontificem in totum ludibriis usum fuisse, quia illis temporibus nondum tale fastigium conscenderat, adeoque de futuris et contingentibus iudicium ferre ipsi haud erat integrum. c) Totam
igi-

c) Ita sentit personatus MONZAMBANVS in libr. I. §. 12. de
statu



igitur vt rem explicemus, per Imperatoris nomen Carolus M. summus ecclesiae aduocatus, protector immo et moderator aliarum rerum factus est. Pontifex enim, qui conspectis vndique periculis, hinc Longobardos, illinc Graecos, velut medius formidabat, de aduocato ac protectore immo et Domino benigno sibi suaeque sedi prospiciendum censuit. Notandum autem, Carolum per hoc aduocatae ius has quoque partes adeptum esse, vt nemo in Petri sedem eueheretur, nisi Caroli consensu, quo simul cauebatur, ne quis Caroli hostibus aemulisque obnoxius irreperet. Deinde ius remouendi quoque aderat, quo si quis forte per prauas artes irrepisset, aut

statu imperii german. Amplissimum commentarium exhibet diff. HENR. VAGEDES in hac acad. quondam Prof. celeb. viri docti ac ingeniosi *de ludibriis aulae Romanae in translatione imperii Romani*, quae exstat in *oper. acad.* iunctim editis p. 110. seqq. Sed quamvis multa egregia et sane ad rem facientia contineat hoc schediasma, tamen suspicionibus nimium indulget vir alias sagacissimus. Damnamus ac plane reprobamus hac occasione mordax iudicium GVNDLINGII, qui in *Tr. de Henr. auc.* p. 93. ita loquitur: *Vagedes apud Rintelenses aliquando Historiarum ac eloq. Prof. egit. Sed praeter fiduciam nihil adfert homo confusae industriae ac perturbati iudicii, qui in hoc maxime negotio summa imis, ac quadrata miscuit rotundis.* Nam talem de viris eruditionis laude florentibus iudicandi libertatem cum regulis aequitatis ac modestiae pugnare et nobis non monentibus vnusquisque facillime videt. Conf. et Nou. BIBL. Tom. 2. p. 168.



aut concitatis motibus turbaret pacem, amoueri detrudique poterat, ne improbis semper abesset timor, aut calamitosae virtuti subsidium. Praeter haec Magistratus quoque ordinari poterant, qui Ecclesiasticis circa sacra occupatis ius dicerent. Magna igitur fuit potentia magni nostri Caroli, quae tamen haud fuit deuoluta in posteros ac successores suos. Cliens tunc fuit Pontifex, protector Carolus. Reuerentia, quam Clientes patronis debent, multum quidem differt a subiectione, sed laesio tamen reuerentiae multas occasiones suppeditare potest patrono, vt ex Clientibus faciat veros subditos. Mirandum igitur est, qui factum sit, vt Imperatores Romani, protectores Paparum, a Clientibus suis tantum non opprimerentur et subiicerentur. Sed desine mirari. Cliens erat Pontifex, Clericorum maximus. Est contradictio politica, vt patronus reuerentiam exhibeat Clienti. Maior contradictio est, vt eum adoret aut pedes ipsius osculetur. Admisso semel hoc absurdo, plura deinde secuta sunt. Praesertim nostra Germania nihil aliud exinde lucrata est, quod Reges titulum Imperatoris Romani gesserint, quam vt perpetuis Pontificum vexationibus et perfidiae Italorum fuerit exposita. Cum enim illi viderent auxilio Imperatorum sibi haud amplius opus esse, debita Imperatoribus veneratio tunc quoque cessauit. d)

E


Vide-

d) GUNDLINGIUS in *Gundlingianis part. XXXV. p. 427. seqq.*
de Francorum regno Romano agit, et inter alia p. 476.
appo-



Videmus igitur regem potentissimum per summam
prudentiam ac fortitudinem regnum Francorum
nobi-

apposite ita verba fluunt: Es ist kein Zweiffel, daß
wann der Türck sich nach Italien wagen, und der Ca-
pitain Bacha eine gute und formidable Armee alda aus-
setzen und Conquieten machen solte, der Kayser samt sei-
nen Teutschen der erste seyn würde, der alda unter der
Fahne des heiligen Petri vor den Riß treten müste, den sie
in ihren Bullen zuerst hoch erheben, und mit vielen Lob-
sprüchen dahin locken würden; endlich aber und wenn
sie wieder in Sicherheit sich befänden darauf zu dencken
nicht verabsäumen würden, daß er sich über die Alpen
retirirte, und wann er nicht wolte, daraus mit Gewalt
durch Beyhülffe anderer Europäischer Könige wiederum
könte delogiret werden, oder auch durch innerliche
Troublen gezwungen die Rungalischen Felder samt des
Pabstes Terrain verlassen müste. Alvo er alsdann nicht
mehr nöthig wäre, indem man ohne seinen Schutz die
Cavalcaden so wie zuvor, wiederum fortsetzen, und
das Kirchen-Regiment in Ruhe und bey guter Commodité
und Gesundheit führen könnte. Da hingegen dem Kayser
genug seyn könnte, daß er einen Eingang nach Italien be-
hielte, und die Italiänische Grafen bey ihm ihre Leben
auf dem Bauch und mit einem προσκυνέειν suchen müssen,
auch endlich derselbe electus Romanorum Imperator
hieße, ingleichen auf den Todes-Fall vor ihm eine Messe
gelesen würde, und das Römische Reich sacrum bliebe,
von welcher Titulatur in solchen Verstande alle andere
Könige abstehen müsten und solten, weil ihr Reich das
regnum und imperium Petri sacrum nicht sey, darinnen
derselbe durch die Stimme des Heilandes gleich als auf
einen Felsen etabliret worden.



nobiliter amplificasse, nam quamuis post patrem Pipinum magnum quidem et forte susceperat, tamen pene duplum illi adiecit. Nam cum antea non amplius, quam ea pars Galliae, quae inter Rhenum et Ligerim, Oceanumque et mare Balearicum iacet, et pars Germaniae, quae intra Saxoniam et Danubium Rhenumque ad Salam fluuium, quae Thuringos et Sorabos diuidit, posita, ac a Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, et praeter haec Alemanni atque Baioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent: ipse per bella satis nota ac a multis memorata primo Aquitaniam ac Vascouiam totumque Pyrenaei montis iugum et vsque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, et fertilissimos Hispaniae agros secans, sub Dertosae ciuitatis moenia Balearico mari miscetur. Dein Italiam totam, quae ab Augusta praetoria vsque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum et Beneuentanorum constat esse confinia, decies centum et eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quae quidem Germaniae pars non modica est, et eius quae a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei longitudine posset esse consimilis. Postquam vtramque Pannoniam, et oppositam in altero Danubii ripa Daciam, Histriam quoque et Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam et iunctum cum eo foedus, Constantinopolitanum imperatorem habere permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quae inter Rhenum ac Vistulam fluuios Oceanumque ac Danubium posita,

fitae, lingua quidem pene similes, moribus autem et habitu valde diffimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias effecerit. Inter quas fere praecipui sunt Welatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmanni, cum iis namque confligit, caeteras, quarum multo maior est numerus, in deditioem suscepit. e)

§. VIII.

Quia sola ratio naturalis non sufficit ad recte semper iudicandum in tanta casuum varietate, qui passim incidunt, necessum fuit, vt certis quibusdam legibus tam poenalibus quam distributiuis sese armarent respúblicae. Illis quidem ad castiganda delicta, his vero ad suum cuique tribuendum. Poenales leges adumbrantur per gladium iustitiae symbolum, leges vero distributiuae denotantur per regulam seu amuffim, quae promiscue actiones omnium et iura demetitur. Vtrisque legibus spiritum ac vigorem princeps tribuere debet, rex et lex non nisi vnica discrepant littera, et quid aliud rex, quam lex loquens? quid lex aliud quam mutus rex? Lex rigoris excusatio est, eleuatio gratiae, inuisibile principis brachium, quo reipúblicae habenas moderatur. Nec alia via melior ad conciliandam auctoritatem, et subditos ad officium cogendi. Quare a legum praescripto non recedendum, neque vtendum imperio, vbi legibus agi possit. Quod si via facti procedat

e) vid. EGINHARDVS *de vita et gestis Caroli M. c.* 15.



cedat princeps, vim suam ac robur perdunt leges, culpa pro innocentia habetur, et iustitia pro tyrannide, immo principis potestas haud parum immittitur, plus enim semper cum lege quam absque illa efficere poterit. Lex principem constituit, tuetur, armat ac roborat, nisi lex esset, nihil inter dominationem et subiectionem discriminis intercederet. Legibus tanquam fundamentali petrae, non soli arbitrio, vera innititur politica. Regulae sunt bonae gubernationis, et viae regiae rationis status, per eas tanquam per certas quasdam lineas, reipublicae nauis secura nauigat. Muri sunt magistratus, oculi et anima ciuitatis, vinculum populi, ac fraenum quod eum regit ac corrigit, quin ipsa etiam tyrannis absque iis subsistere non potest. Haec secum animo pensitans Carolus M. etiam suarum partium esse duxit reipubl. legibus prospicere. De legibus Longobardorum, Francorum, Alamannorum, Baioariorum, Saxonum, Anglorum et Werinorum, Burgundionum, Frisonum, Ripuariis et Wisogothorum nunc non sumus solliciti. f) Tantummodo quae Carolus M. in quibusdam harum legum mutauerit, aut quales de nouo constituerit, breuissimis videbimus. Ita autem EGINHARDVS: g)

Post



f) De illis egit PAVL. HACHENBERG *in germ. med. p. 57.* in quibusdam tamen ab Hachenbergio dissentit magnus CONRINGIUS in libro egregio *de origine iuris germanici* Helmst. 1665. ed.

g) vid. EIVS *comment. de vita Caroli M. c. 29.*



Post susceptum imperiale nomen, cum aduerteret, multa legibus populi sui deesse, (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuersas) cogitauit, quae deerant addere et discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in his nil aliud ab eo factum est, quam quod paucula capitula et ea imperfecta legibus addidit, omnium tamen nationum, quae sub eius ditione erant, praeter Francos scilicet, iura, quae scripta non erant, describere, ac litteris mandari fecit. Hinc ad leges Salicas capitula quaedam addidit, item legibus Baioaricis. Ad edicta quoque Longobardorum novas leges, quas quidem tum praesens vsus desiderabat, adiunxit, quod et fecit Pipinus filius, quem pater viuo sibi regni Italici socium adsciuerat. Praeter additamenta illa priscarum legum etiam prorsus nouas tulit Carolus M. id enim audiuius modo dicentem ipsum Eginhardum. Eas germanicalingua primum editas esse, falsum est, tales enim nemo vel visas sibi testatur, vel alicubi superesse, sed quod populo in lingua ipsis nota fuerint explicatae, maxime probabile est. *b)* Consideremus autem, an Saxonibus et Frisiis leges tulerit Carolus, ante eum enim neuter populus scriptas leges videtur habuisse, vtpote rudis etiamnum, et scribendi, saltem latine, imperitus, libertati praeterea assuetus. Vetus autem et recepta fama est apud Saxones legum a Carolo M.

b) vid. celeb. HAHNII *Staats-Reichs- und Kayser-Historie.*
p. 74. not. 3.



M. conditarum. *i)* Est vero hodieque in manibus lex Frisiorum et Saxonum ab IO. BASILIO HEROLDO cum aliis primum edita, vtraque insignis antiquitatis, et disertis Francorum reges dominos agnoscens. Praeter illam vero legem in Saxonum usum esse et alia autoritate Caroli constituta, vetant nos dubitare duo illa opuscula Romae Luca Holstenio, Pontificis Bibliothecario, curante edita. Alteri titulus: Caroli M. *capitulatio de partibus Saxoniae*; alteri *Capitulare Saxonum*. Debemus hoc insigne vetustatis Germaniae monumentum industriae Ferdinandi Fürstenbergii, qui ex antiquissimo Mss. Palatino Vaticanae bibliothecae eruit. Capitula vero illa in id maxime condita esse, vt Saxones sensim pietatis christianae regulis adsuescerent, legentibus
ma-

i) EPCO DE REPKAV Eques Saxo, compiler speculi Saxonici, qui vixit circa confinia saeculi XII. et XIII. id testatur disertis verbis, quod et memorat auctor glossae in speculum illud. Sed nisi aliunde nobis constaret de legibus Saxonum Carolinis Epkonis illius et glossatoris fide haud id liceret affirmare, tanta est illorum hominum in comminiscendis siue credendis fabulis vecordia. Quod et ALB. CRANZIVM impulit vt *l. 2. c. 21. Saxon.* plane negaret, Saxonibus leges a Carolo M. fuisse latas. Sed ex verbis Eginhardi patet omnibus subditis populis a Carolo leges praescriptas esse. Quod vti certum est, ita stultum foret credere omnia illa, quae speculo Saxonico continentur vsque ad libr. 3. art. 78. a Carolo esse constituta. vid. REU. REIMMANNI *hist. litter. Tom. 2. p. 180. 269. 447. seqq.*



manifestum est. Multa quoque alia Carolus sanxit obseruanda in conciliis populi, quae singulis paene annis coegit, verum illa non fuerunt pari dexteritate in chartas relata. Retulit quaedam aetate Ludouici Pii in librum tertium suum Ansegisus, Episcopus Senonensis, quarto libro appendicis secundae, adiungens eas Carolinas leges ciuiles, quae minus perfectae visae sunt. Paucis quoque videndum de Caroli constitutionibus ecclesiasticis. Illae videntur duorum esse generum, aliae scilicet prorsus nouae, aliae de antiquis Canonibus et decretis decerptae, ac reiteratae. Sunt autem Caroli auctoritate celebrata concilia quatuor: 1) Ratisbonense a. 792. ob haeresin Felicis Vrgelitani Episcopi. 2) Francofurtense a. 794. vbi controuersia de imaginibus ventilata. 3) Aquisgranense a 809. in quo de ecclesiae statu reformando actum quidem, nihil tamen decretum fuit. 4) a. 813. variis locis concilia iussu Caroli celebrata sunt, quae omnia Canones ecclesiasticos plurimos dederunt, qui extant in tomis conciliorum. Praeter haec fecit idem Carolus colligi in rem ecclesiae Canones alios ex veterum conciliorum, patrum et pontificum sententiis, vsus opera Albini, siue Alcuini, Angli, et Paulini Episcopi Aquilegiensis. Illud opusculum reperitur sub titulo Capitularis lib. I. apud Ansegium, et in Capitulari Lotharii I. Caesaris, vel epitome Capitularium Carolinorum edita a Busaeo cum epistolis Hincmari Rhemensis. Promulgatum fuit a. 789. ac extat quoque





quoque Msctum in bibliotheca Academiae Helmsta-
diensis. k)

§. IX.

De Germaniae iudiciis tempore Caroli M. se-
quentia tenenda: Aliud fuit iudicium et concilium
Procerum siue Ordinum omnium, aliud iudicium
Regis ac Comitis Palatini, aliud iudicium Graui-
orum siue Comitum, aliud Missorum siue Legatorum,
aliud Episcoporum. *Iudicium Procerum* constabat
ex Ducibus, Episcopis ac Comitum praecipuis. Ad
hoc pertinebant 1) causae regum regiaeque familiae
maiores. Controuersia filiorum Ludouici Pii non
semel in hoc concilio agitata est, immo lites Ludouici
Pii cum filiis in senatu Procerum Spirae compositae
sunt. Huic iudicio ipsi reges adeo subiecti fuisse scri-
buntur, vt ob rempublicam male administratam po-
tuerint deponi, quam in rem afferunt exempla Ludo-
uici Pii et Caroli Craffi. Sed haec per factionem, non
de iure facta sunt. 2) Maiores caussae ipsorum Pro-
cerum. Sic Tassilo Boioariae dux in procerum con-
F ventu

k) Conf. de his CONRINGIVM *de orig. iur. germ. cap. 12 seq.*
qui et de lege Salica agit *ibid. c. 7.* Addendus quo-
que FRID. LINDENBROGII *codex legum antiquarum, in*
quo continentur leges Wisigothorum, edictum Theodorici
regis, lex Burgundiorum, lex Salica, lex Alamannorum,
lex Baiuvariorum, decretum Thasfilonis ducis, lex Ri-
puariorum, lex Saxonum, Anglorum et Werinorum,
Frisorum, Longobardorum, constitutiones Siculae siue
Neapolitanae, Capitulare Caroli M. et Hludouici Imp.
etc. Franc. 1613. in fol. edit.



ventu fuit diiudicatus. Minoris autem momenti controuersiae in hoc procerum concilio non fuere decisae, sed regis missorumque sententia compositae sunt. *Iudicium Grauionum* sequenti modo se habebat. Germania olim in pagos, quos Gowas siue Gaw dicebant, diuidebatur, singulisque praeficiebatur Comes siue Grauius, cuius sententia lites minores finiebantur. Causae erant tam ciuiles quam criminales, de sacris ibi non iudicabatur. Comites hi constituebantur ex solorum regum sententia. Locus iudicii publici dictus fuit mallum, qui primum sub dio fuit, sed Carolus M. voluit tectum addi. Advocati siue Patroni causarum Clamatores dicti sunt, appellare autem vocabatur blasphemare. Comiti adiuncti sunt Scabini *Schoeppen*, qui a missis regiis constituebantur, populi tamen consensus non raro exquirebatur. Comites absentes aut morbo detenti vicarios constituebant, qui dicebantur Sculdefii, *Schultbeissen*. l) *Iudicium missorum* tale erat: cum eue-

l) vid. EGINHARDVS *cap. II.* et conf. egregia obseruatio viri longe celeberrimi Dni. Conf. SCHMINCKII. Consult. GVIL. FRID. PISTORII in *part. I. der histor. und Jurist. Anmerck. von denen Graven p. 107. seqq.* summe reu. HEVMANNI sententiam de origine vocis *gray* illustrat, qui recte illam deriuauit a vocabulo *gray*, canus. Criminalibus inprimis causis diiudicandis praerant Comites. Ciuiles enim, praesertim non magni momenti *Centenariis et Decurionibus* decidendae relinquebantur. Interim administratio iustitiae nullis am-

euenire potuerit, vt in Comitum iudicio partes litigantes laesae fuerint, regum praescripto delegati fuerunt, qui prouincias obirent, Missique dicti. Ad hos appellabant, qui Comitum sententiae non acquiescebant. Tempus quo Missi ditiones obibant, iudiciaque exercebant, quatuor mensibus in anno definiebatur, hyeme, Ianuario, Vere, Aprili, aestate, Iulio, autumnum autem Octobri, quater autem in vno mense quatuorque in locis hi missi confidebant. Ad hoc iudicium debebant conuenire Comites, Episcopi,

F 2


pi,

ambagibus videtur fuisse obnoxia. Prohibebantur enim seueri iudices, ne caussarum decisiones in longum tempus protraherent. vid. *Capitular. lib. 3. c. 53.* vbi: *Vt nullus quilibet missus noster, neque comes, neque iudex, aut Scabineus cuiuslibet iustitiam dilatare praesumat, si statim adimpleta potuerit esse, secundum rectitudinem, neque praemia pro hoc a quolibet homine per aliquod ingenium malum praesumat accipere.* Sententia quoque valida non erat nisi quae legibus scriptis esset conformis. vid. *Car. M. Capitular. I. a. 802. c. 26.* vbi: *vt iudices secundum scriptam legem iuste iudicent, non secundum arbitrium suum.* Vbi autem leges nihil definiebant, ex aequo et bono iudicabatur. Iudex corruptioni obnoxius seueri, immo capite, puniebatur, vid. *lex Ripuar. c. 88.* vbi: *iubemus vt nullus optimatum, maior domus, domesticus, Comes Grafio, Cancellarius, vel quibus libet gradibus sublimatus in prouincia Ripuaria in iudicio residens munera ad iudicium peruertendum non recipiat. Quod si quis in hoc reprehensus fuerit, de vita componat, conf. et Car. M. cap. de part. Sax. c. 28.*

pi, Abbates, nec cuiquam licebat abesse. Sumtus, quibus viuebant tempore sui muneris hi missi e publico dabantur. De *iudicio regis ac comitis palatini* haec tenenda. In prima instantia rex non solebat adiri, sed per appellationem a Comitibus ac Missis caussae ad ipsum deuoluebantur, singulis autem septimanis rex vno die ad iudicandum confidebat. Minores quoque Episcoporum, Abbatum, Comitum controuersiae a Rege decidebantur. Comes palatii decidebat primo controuersias in ipsa aula enatas, secundo super appellatione cognoscebat, grauioribus caussis ad Regem reiectis. Nemini autem licebat Regem adire, nisi Comes primum de grauitate caussae cognouisset, Regemque admonuisset. *m) Iudicium Episcoporum* adhuc considerandum restat. *n)* Primo licuit Sacerdotibus in vitam et mores Christianorum inquirere ac animaduertere, fontesque ac reos punire potuerunt, tum aliis poenis Canonicis, tum

m) EGINHARDVS c. 24. de Carolo adfirmat: Cum calciaretur aut amiciretur non tantum amicos admittebat, verum etiam, si Comes Palatii litem aliquam esse diceret, quae sine eius iussu desiniri non posset, statim litigantes introducere iussit, et velut pro tribunali sederet, lite cognita, sententiam dixit.

*n) Si quis originem iurisdictionis episcopalis nosse cupiat, adeat Petrum Suauem Polanum, siue, quod verum eius nomen est, PAVLVM SARPIVM, fratrem ordinis seruitarum, et reip. Venetae Theologum in admirabili *hist. Conc. Trident. l. 4. p. 563. seqq.* vbi sapienter ab ipsis apostolorum temporibus rem explicat.*



tum etiam excommunicatione. Secundo Episcopis quoque concessa fuit in Monachos atque Clericos iurisdictio, sed ipsius Episcopi causa in synodo vel apud Metropolitanum agitabatur. Notandum praeterea, tum temporis etiam fuisse Episcopis concessam potestatem prouocandi siue appellandi ad pontificem Romanum, id tamen non fiebat in prima vt aiunt instantia, sed post sententiam a Metropolitano latam. Progressu autem temporis Episcoporum caussae personales Romam sensim pertractae sunt, contra receptam consuetudinem, de quibus hic non est differendi locus. Duo adhuc supersunt monenda: primum, Episcoporum caussas in synodo Regia auctoritate semel decisas, non potuisse Romam pertrahi; alterum est, regno Francorum durante Episcopos aequae ac alios subditos Regi iureiurando fuisse obstrictos. Iudicium autem in bonis sacris non erat apud Episcopos et Clericos, sed penes alios ab ipsis Regibus constitutos, qui dicebantur vice-Domini *die Kasten-Voegte*, horum erat de bonis sacris controuersis iudicare. Quae omnia ita comparata erant, vt nihil in illis desiderari possit, nisi quod extra Germaniam ad Romanam sedem appellationes delatae fuerint. o)

§. X.

- o) Conf. circa dicta CONRINGII *diff. de iudiciis reip. germanicae, quae Helmst. 1647. prodiit*. Et adde POL. LEYSERI *progr. de primis iuris germanici scripti incunabilis. Helmst. 1723. ed.*

§. X.

Carolus M. fautor magnus fuit eruditorum et eruditionis. Antiquas populorum fuorum leges in litteras retulit, vt iam vidimus, grammaticam linguae Germanicae primus concinnare coepit ope Nannonis, Theobaldi, Albini et Beringeri. Mensibus quoque ac ventis nomina germanica imposuit. Inter coenandum historias aut antiquorum regum gesta sibi praelegi fecit. Delectabatur et libris S. Augustini, praecipue quos de ciuitate Dei inscripsit. p) Barbara et antiqua carmina collegit et memoriae mandauit, scripsit et ipse carmina latina et germanica, vt chronicon Mindense de ipso testatur. q) Referunt et aliqui de Carolo, nouum Testamentum eius iussu in linguam Germanicam translatum fuisse,



p) vid. EGINHARDVS *cap. 24. et 29.*

q) Epitaphium in Rolandum ei tribuit TURPINVS, quod tale est:

*Tu patriam repetis tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Sed qui lustra geris octo et binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad astra redis.*

verum Turpinus fabulis scatet, ac omnia, quae ille de Rolando in REYBERI *collect. p. 81. seqq.* refert, falsa sunt. Exstant et Caroli *libri 4. de impio imaginum cultu*, quos ad primam editionem recudi curauit praestantiss. HEVMANNVS Hannou. 1731. qui et in *praefat. praecipue §. 25. seqq.* inuictis argumentis demon-

mon-




isse, sed haec adfertio probatione destituitur. r) Illud certum est, Carolum magnam librorum copiam in bibliotheca sua congregasse, et inter ceteros thesauros tres mensas argenteas fuisse, quarum vna forma quadrangula descriptionem vrbis Constantinopolitanae continuit, altera rotunda Romanae vrbis exhibuit effigiem, tertia reliquis maior et pulchrior, ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complexa fuit. s) Sed quamuis Carolus omnia tentaret, maiora tamen subsidia eruditionis exoptavit ad temporum caliginem discutiendam. Ita enim monachus Sangallensis: Gloriosissimus Carolus per totum regnum suum studia litterarum florere conspiciens, sed ad maturitatem patrum praecedentium non peruenire condolens, et plusquam mortale laborans in hanc taediosus vocem erupit: *O utinam haberem XII clericos ita doctos, omnique sapientia sic perfecte instructos ut fuerunt Hieronymus et Augustinus!* Ad quod Albinus Alcuinus: *creator coeli et terrae similes illis plures non habuit, et tu vis habere duodecim?* aemulationem suam apposito magis quam

monstrat illud opus conscripsisse quidem Alcuinum sed tamen a Carolo id approbatum fuisse, ac heic valere vulgatum illud: Quod quis per alium facit, id ipsemet fecisse putandus est.

r) vid. MORHOFII *Unter. von der teutschen Sprache und Poesie* p. 281. seqq. et p. 412.

s) vid. EGINHARDVS *cap. 33.*




quam sufficienti responso tegens an prodens? t) Interim meruit, vt et hodie scientiarum et artium instaurator colatur, nemoq; augustissimi Caroli voluntati propensae in excitandis doctrinae studiis magis obtemperauit Rabano Mauro, germano natione, praestantissimo Alcuini disciplinae alumno, ac ipsius Fuldenfis monasterii Abbate, Archi-Episcopo denique Moguntino. Eginhardus vero eximia sua doctrina expectationem Caroli superauit omnino, tam eleganter saltem ipsius huius Imperatoris vita conscripta est, vt plurimi, iique eruditissimi viri extiterint, qui eo adduci haud potuerint, vt vitam hanc ita ab Eginhardo conscriptam esse, vt hodie eam legimus, crederent. u) Ibat igitur Carolus, princeps, vt tum erant

t) vid. FECHTII *praef. praem. Maii vit. Reuchlini A. 3.*

u) Vita Caroli ab Eginhardo conscripta accurata prorsus historia non est, sed potius pro moderato elogio habendum est illud opus. Diligentissime legit Virgilium, Ciceronem, Quintilianum et Suetonium, quem vltimum ita imitauit, vt etiam vitium plagii litterarii ipsi obiectum sit. Nam quae de statura et corporis habitu Caroli adfert omnia ex Suetonii Claudio Nerone, Iulio et Augusto exscripta sunt. Quis vero crederet Carolum M. illos Imperatores in plerisque tam accurate expressisse? vid. ill. HEINECCII *fundam. stili cult. Part. 3. c. 2. §. 4.* Fabula est, Carol. M. filiam Emmam coniugem illius fuisse, quam rem prouti vulgo traditur, descripsit HOFFMANNSWALDAV *in denen Helden-Briefen* et CASPAR. BARLAEVS in egregio poemate: *Virgo ἀνδροφύρος*. De Eginhardo vide

FRE-



erant tempora, ipsemet eruditus, quo poterat, et vndique accitis viris eruditis incredibili sumtu ac labore scholas per vniuersam Galliam et Germaniam instituit. Idem Episcopus prouidere iussit vbiuis, vt tam sacrarum, quam reliquarum litterarum florent studia, monachos autem instituendae iuuentuti operam dare atque ministrorum fungi munere praeclare voluit. Sed non talis ac tanta erat aetatis huius eruditio, quanta sufficit ad ardorem in iuniorum mentibus accendendum et ingenia superstitione purganda. Orbis scientiarum septem continebatur disciplinis: Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria et Astronomia, quas peculiaribus libellis Alcuinus exposuit. Praecepta quod ex illis apparet libris breuia, ieiuna et parum ornate digesta, vniuersa tractatio rudis et memoriae magis fatigandae, quam excitando ingenio accommodata. Hoc facile patet iis qui cum cura considerant Bedae ac Alcuini scripta, qui praecipui sapientiae huius aetatis tutores fuerunt. Quodcun-

G

que

FREHERI *orig. palat.* p. 156. WAGENSEILII *per libr. iuven.* Tom. 4. Part. 2. p. 150. SAGITTARII *introd. in hist. eccl.* p. 616. HEDERICHII *not. auct.* p. 894. GUNDLINGII *otia P. 2. p. 202. seqq.* REIMMANNI *hist. litt.* Tom. 2. p. 259. 333. BIBL. NOV. Vol. 4. p. 339. BAYLE *Diction. art.* Eginhard. BOECLERI *bibliogr.* p. 412. Egregium hunc auctorem nitide edidit ac doctissime illustravit celebrat. IO. HENR. SCHMINCKIUS *Consil. Hass. et Historiogr.* inter praecipua patriae nostrae decora iure meritoque collocandus. Trai. ad Rhen. 1711.

que philosophabantur, id vel Augustino, vel Boethio, vel etiam Aristoteli, quem tamen haud assequebantur, debebant. Hoc quoque animaduersione dignum, quod litterarum cura nullis nisi sacri ordinis viris, committebatur, ceteri propemodum ab ea arcebantur. Profuit haec res ceremoniarum praefectis, nocuit autem vehementer reipublicae, Episcopi enim et Abbates cum monachis in aulam vocati, atque maximis muneribus praepositi stolidi fuissent, si hanc opes amplificandi occasionem dimisissent. v)

§. XI.

v) vid. MOSHEMII *instit. hist. eccles.* p. 431. Sane studiorum cultores foueri debent, et contra virorum obscurorum insultus defendi, alioquin studia et litterae nunquam caput extollent. Vbi inhonorati iacent viri docti, ubi haereseos suspicionem, et infamiae notam vix possunt effugere, ibi tristis est rerum facies, ibi philosophia vera filet, ut inter arma filere dicuntur leges. Sic Ouidius apud Getas inhonoratus erat. Conqueritur *irist. V. X. 37. 38.* de sua infelicitate:

*Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli,
Et rident stolidi verba latina Getae.*

conf. TURRETINI *opusc. Tom. 1. p. 115. seqq.* Nemo ignorat epigramma Martialis VIII. 55.

*Sint maecenates non deerunt, Flacce Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

Reposuit alio epigrammate Menagius *poem. p. 123.*
*Cur Maecenates hoc desint tempore? quaeris;
Hoc Flacci, et desunt tempore Virgilii.*

Vter-



§. XI.

Firmum ratumque est, finem bellorum nec fa-
mae acquisitionem, nec finium imperii extensionem,
G 2 nec

Vterque defendi potest, Maecenates litteratos tuen-
tur: merita litteratorum Maecenatum beneuolen-
tiam excitant et excitare debent. Praesta te virum,
non deerit Maecenas. Hodie regno tenebrarum in-
clinante, artem quaeuis terra alit, sed aliter compa-
ratum erat temporibus Caroli, vbi pedantismus, siue
scientia rerum maxima ex parte inutilium per omnia
scientiarum genera se extenderat, qui originem su-
am debet mancipiis Papae, per claustra et monaste-
ria dispersis, in quorum ingenia stilo Satirico inue-
hitur ERASMI *Encom. moriae*, et FRISCHLINI *Priscia-
nus vapulans*. Alias laudandum in Carolo, eum
pro virili studia promouisse, ac habemus exemplum
huius rei in AVENTINO, qui in annal. Boi. l. 4. c. 8. n. 35.
ita loquitur: *Cum longo post tempore in Galliam diuer-
tisset, pueros, quos Clementi commiserat, epistolis, ver-
sibus, carminibus, orationibus, panegyricis scriptis, ve
periculum de eorum ingenio ac indole faceret, sibi exhiberi iubet. Vbi tenuiores praeter spem profecisse, nobi-
les vero gaudiis corporis deditos cultum animi neglexisse
deprehendit, illis ad dextram segregatis: vos quidem
maesti virtute, inquit, estote filioli pientissimi, qui
nostro imperio grauitur defuncti estis, vestra erunt
sacerdotia locupletissima, et pontificatus maximi.
Ego vos in aulam adscisco: ex vobis Senatores ex-
optabo: vos in album praetorum, et patrum cu-
riam adlegam. Deinde ad nobilem liberos, quos a
laena collocarat, vultu haud iram dissimulans, ait:
At*

At



nec religionis propagationem, sed primum quidem gloriam Dei, deinde salutem ac tranquillitatem reipublicae esse debere. Haec si considerasset Carolus tanta iniustitiae macula haud laborarent expeditiones illius bellicae. x) De bello Saxonico distinctius illud memorandum, quod coeptum a. 772. ac magno partium ardore per 33. annos gestum fuit. Causam si inquiramus, tenendum Saxones ea tempestate adhuc a religionis christianae institutis alienos idolis seruisse fouisseque statuam Irmenseul, Arminii, veteris Germaniae Ducis, ex multorum iudicio columnam,

At vos comatuli et delicatuli, freti opibus, et splendore parentum, nostram maiestatem conspreuitis, vitia, otia, luxum, et inertiam bonis litteris virtutibusque contempto decreto nostro, praetulistis, iubeo, et Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab imperatore vestro, cuius iussa aspernati estis exspectate: faxim vt omnibus mortalibus ludibrio viuatis: et in vos exempla edam, nisi resipueritis et negligentiam diligentia expiaueritis.

x) *Haec pestilens et gehenna digna vox est eorum, qui in summa fortuna sunt collocati, ius omne ex voluntate, voluntatem ex utilitate esse metiendam, vel etiam reges duobus nominibus belli ac pacis tanquam nummis uti posse, non ad id, quod est iustum, sed ad id, quod expedit, adeoque religionem fidei in ludum vertere.* Verba sunt ill. PESTELII, Patroni, studiorumque meorum amplificatoris aeterna animi religione venerandi in *diff. de cauta adpl. doctrinae de notorio in I. N. p. 18.* quae ad Carolum quam maxime applicari possunt.



lumnam, quam postea Carolus destruxit. γ) Ille incensus ardore propagandae religionis christianae, consilia iniit armis ac bello Saxones ad Christi fidem perducendi. Sed Christianismus armis propagari nequit, omniaque satis produnt, Carolum ditionibus ac bonis Saxonum inhiasse, religione autem instar praetextus usum esse. Saxones tum temporis in Westphalos, Ostphalos et Angarios diuidebantur, tribus quoque Satrapis regebantur. Wittekindus Westphalorum, Hesso Ostphalorum, Bruno Angariorum regioni praerat, quibus accedebat Albio, trans Albinae regionis, id est Holfatiae princeps. ζ) Multa memoratu digna in illo difficillimo bello per-

pe-

γ) Elegantem *de Irmensula* diff. edidit ERN. CASIM. WASSERBACH, quae prodit Lemgou. 1698. in 8.

ζ) BEDA *hist. eccl. L. V. c. 2.* publicae rei apud Saxones formam his verbis describit: *Antiqui Saxones regem non habent, sed Satrapas plurimos suae genti praepositos, qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, et huic obtemperant, peracto autem bello rursus aequalis potentiae omnes fiunt Satrapae: Consonant illa WITTECHINDI Corbeiensis l. I. ann. A tribus principibus totius gentis Ducatus administrabatur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis locis ac vocabulis nouimus signatos in orientales scilicet populos, Angarios atque Westphalos. Si autem uniuersale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oporteat, ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, aequo iure ac propria potestate unusquisque contentus uinebat.*

petrata sunt, et praesertim felicissima a. 775. fuit expeditio. Sigeburgum ad Ruram expugnatum, Eresburgum contra Saxones munitum, Brunsberga prope Hoxtariam capta, Saxones Ostphali ad Visurgim caesi, traductus ad Ocrum fluuium in Ostphaliae interiora exercitus, Ostphali Carolo supplices facti. Mox Angariis quoque Saxonibus in pago Bucki pax indulta, tandemq; et Saxonibus Westphalis acriter, post tentatam in castra Francica ad Lubbecam in agro forte Mindensi irruptionem, castigatis, eadem concessa fuit. A. 776. Cum in Italia Carolus Rotgaudum comprimeret, rebelles denuo Saxones Eresburgum destruxere, Sigeburgum frustra tentarunt. Redux Carolus breui ad obsequium eos compulit, et ad Luppiae fontes ingens multitudo supplex ad baptismum se obtulit, Eresburgum instauratum, aliud item Luppiae castellum impositum. A. 777. Carolus Paderbornae conuentum egit, quo omnes Saxoniae proceres, excepto Wittekindo in Daniam profugo, conuenere, iterumque iurata fide ingens turba Saxonum baptizata. A. 778. Carolo Hispanica expeditione distento arma Saxones auctore Wittekindo resumere et ad inferiorem Rhenum atrociter omnia depopulati sunt. Missi a Carolo in barbaros Franci orientales et Alemanni ad Adranam Hassiae fluuium grauissima eos clade protriuerunt. A. 779. ipse Carolus ad ostia Luppiae Rheno traiecto Westphalos vel solo terrore in fugam egit, supplices denuo in gratiam recepit, ab Angariis item et Ostphalis accepti obsides, iurata fides. A. 782. noua turbas

bas



bas concitauit Wittekindus, tunc de illis, qui auspicia Ducis secuti supplicium sumtum 4500. Ferdæ ad Alleram fluuium capite plexi. Fusi a. 783. duplici praelio Saxones vno ad Dethmoldiam in comitatu Lippiensi, altero ad Hasam fluuium, haud procul Osnabruga. A. 784. late omnia populatus est, et anno sequenti trans Albim degentes principes Wittekindus et Albio ad pacem inuitati, impunitas promissa, dati obsides. Venerunt, secuti regem in ipsam Franciam, Attiniacum sacro fonte baptismatis tincti, et a motibus Saxonia aliquandiu conquieuit. Anno 793. Saxones iterum defecere, a. 795. in Ostphalos expeditio suscepta, et vastata interior Saxonum regio. A. 797. in viscera Saxoniae infusis copiis non prius destitit, quam ad vltimos eius fines penetraret. A. 802. vastata trans Albina Saxonia, ac postremo viribus plane iam fatiscentibus Saxones in ciuilem victoris populi societatem et communem imperii Francici compagem transiere. Stabilite fuerunt in celeberrimo totius populi Saxonici conuentu Salzae ad Salam perpetuae pacis leges a. 803. ac multi ne qua rebellionis semina relinquerentur cum vxoribus et liberis per alias Francici imperii prouincias dispersi, grauissimoque bello finis impositus a. 804. pagi transalbini Obotritis, genti Venedicae dati, post septennium tamen redditis patriae suae Saxonibus ex parte restituti.

§. XII.


Non desunt inter viros celeberrimos, qui haec
cona-

conamina Caroli M. defendunt ac laudibus in coelum extollunt, in ea opinione versantes Carolum fuisse egregium christianae religionis promotorem, omniaque fecisse vt studium pietatis promoueret, ac cultum idololatricum destrueret. a) Sed praua

am-

- a) MEZERAY in *Abregé Chronol. de l'hist. de France Tom. I. p. 226.* ita loquitur: *Les Saxons nation fort belliqueuse et encore Idolatre, composé de plusieurs peuples, et qui eussent este inuincibles s'ils eussent agi d'un commun accord, lui donnerent de l'exercice plus de trente ans; pendant lesquels il fit diuerses expeditions contre eux toujours avec auantage. Il ne leur refusoit iamais la paix et il la violoit aussi tost qu'ils ne le voyoient plus: mais sa pieté constante contre leur malice ne se laissoit point de leur pardonner. Non tant par desir de les attirer sous son obeissance, que pour les assuietir au joug de Iesus Christ; la plus part de ses soins n'ayant pour but que l'accroissement de la Religion.* Condonandum hoc scriptori Pontificiae religioni addicto, sed miror et alios, qui illa haud amplectuntur placita, ita sentire. IO. WERLHOFFIVS magnum acad. Helmst. decus in *Notitiae S. R. I. enucleatae spec. 2. §. 208.* ita loquitur: *Nullum Saxonico bello vel prolixius, vel atrocius, vel Franciae genti laboriosius princeps maximus Carolus gessit, protractumque in annos circiter 33. damno tamen maiori Saxonum, quam Francorum durauit, quando gens non minus natura ferox, quam turpi daemonum et idolorum cultui addicta, indeque in perfidiam et rebellionem praecipit, Francorum dominationi iuxta et christianae religioni (quam aegre nec recte animis vis et arma instillant) auertendis, postremos, eoque nonnunquam*

quam




ambitione et dominandi libidine abreptus omnia perpetravit, nam an religionis propagatio inter iustas belli causas referenda sit, iam pridem addubitatum est ab iis, qui religionem suadendam, non cogendam comprobant, armisque non pietatem, sed barbariem ac morum truculentiam stabiliri, hominumque animis inferi confirmant. Religionis certe obtentu capeffere bellum, exuere fortunis gentes, iniustum. Haec enim cum ad internos animi actus pertineat, armorum terrore non inducitur, sed rationibus morumque suauitate ad eius amplexum animi illiciuntur. *b)* Talis igitur conuertendi modus pistolicus non apostolicus est, nam Apostolorum mos non erat fuste, gladio, exilio aut rota homines cogere, vt in suam societatem se offerrent, sed verbi diuini praeconio saluberrimisque institutionibus eos docebant rationem cum Deo redeundi in gratiam. Neque aliter institui res potest aut debet. Cum enim religio in eo consistat, vt quis recte de Deo sentiat,

H eum-



quam acerbiores conatus effudit. Nullam perfidiam, nullam rebellionem heic video, potius Saxones cum Scytharum legato dicere poterant: *Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licet ne ignorare vastis siluis viuentibus? Nec seruire vlli possumus; nec imperare desideramus.* CVRTIVS l. 7 c. 8.

b) vid. EBELINGII *diss. de vi nec corporibus, nec conscientis ob religionis dissensum inferenda*, quae Rint. 1704. lucem vidit, et M. CHRIST. MICH. FISCHBECK *de quaest. pol. licitumne sit principi, armis decertare pro religione?* Witteb. 1701.



eumque colat, opus est intellectu, qui diuini numinis cognitione imbuatur doctrinisque salutaribus affentiat; atque voluntate cuius imperio opus est, ut intellectus iis praebeat assensum, quae ad recte cognoscendum Deum pertinent. Itaque obseruatione dignissima est vox Maximiliani II. nullam esse maiorem tyrannidem, quam imperare velle conscientis. Eodem animo erat Stephanus Poloniae rex, qui nolle se conscientis dominari aiebat, solum enim Deum haec tria sibi reseruasse, creare aliquid ex nihilo, nosse futura et dominare conscientis. Peccarunt itaque omnes principes, qui hos in fines sanctitatis adminicula adhibuerunt, ut primo intuitu armorum iniusta violentia non in oculos incurreret. TACITVS iam memorat in bellis Romanorum Caesarum consultos fuisse per ludibrium Pontifices, adeoque fatis ostendit, tales Principes saepissime religione ludere, omnium actionum suarum Deum auctorem facere, religionis et iustitiae titulo ambitionem suam velantes, suum quemque bellum sacrum praedicare, hostes quemque suos impios dictitare, suam quemque causam sanctam nominare. c) Res quidem si extra neruos suos spectetur, amplissima laude videtur digna, nec ego facile mihi persuaserim nullos prorsus eorum, qui opus conuersionis apud Saxones vrserunt, recti fuisse consilii, animique integri

c) vid. viri eleganter docti TREVERI diff. de iniuriis religionis causa exornatis. Helmst. 1728.



tegrī. *d)* Emicant in Carolo M. non pauca, quae mentem produnt candidam et Dei studiosam. Sed nimis tamen multa sunt e contrario, quae demonstrant tantam ideo in sanandis populis superstitionis eum adhibuisse diligentiam, ne illis infensioribus deinceps propter religionum differentiam hostibus vteretur. Nempe tamdiu illis fidem nullam aut exiguam fore perspiciebat, quamdiu toto genere diuersum sacrorum ius tenerent. Instrumenta conversionum argumentis pugnare haud poterant, itaque minis et fraudibus, Imperator vero bello et armis contra mentem et sententiam Christi decertabant. *e)*


H 2

§. XIII.

d) Fiebat tunc aliqua ad veritatem praeparatio, quamuis erroribus mixta, nemoque facile negauerit, multas bonas animas et tunc extitisse, de quarum salute optime sperandum. Non statim mancipium Pontificis est, qui in ecclesia Romana viuit, et cognitio interdum erroribus scatens, sufficit tamen ad salutem. Ponderanda sunt loca Paulina *1 Cor. 3, 12. seq. Phil. 1, 15. seqq.*

e) VEN. MOSHEMIVS in ea versatur opinione, quae de miraculis atque sanationibus illorum, qui barbaros populos Christo initiarunt, narrantur, non omnia falsitatis accusari debere, et praecipue de Anschgario illud adfirmat. vid. *instit. hist. eccl. p. 456.* Prouocat quoque ad auctoritatem HÜLSEMANNI, qui in *tr. de auxil. grat. p. 156.* non dubitauit praecipere, Iesuitas apud Iapones vera fecisse miracula in confirmationem religionis christianae in vniuersim spectatae.

Etatae.




§. XIII.

Nec potuit aliter fieri, superstitio enim, quae nihil aliud est, quam credulitas circa res ad religionem spectantes, fundamento rationis et reuelationis destituta, et tyrannidem exercens in contradicentes, tunc iam pessimos edidit effectus. Minime negandum, Carolum haud pauca fecisse, quae superstitutionis cursum sifterent, numerum dierum festorum definiuit, ne praeter modum augerentur, imagines coli vetuit, campanas aqua expiari noluit, Clericos petulantes ab officio remouit, multaue alia sanxit laudabilia. f) Verum idem ecclesiam

S.

Etatae. Sed, quod pace viri tanti dictum esto, miracula nunquam fiunt, nisi summa adfit necessitas, et credo tot caedibus et bellis nullum fuisse locum futurum, si Deus ipsemet quotidie per infinita prodigia conspicuum sese praebuisset.

f) Clericorum praesertim vitia haud tolerauit. IO. AVENTINVS in *annal. Boiorum lib. 4. c. 8. n. 14.* sequentia adfert: *Episcopum Mogontinum, quod lituum aureum, distinctum gemmis, instar Caesarei sceptri usurpasset, seuerissima coercuit oratione, eidem auaritiam, et superbiam pro concione propalam exprobaui, indignabundus et clamitans. En, ait, pastores nostros, qui sprete cura et pascendarum ouium sollicitudine, ostentatione, opibus, luxu, Imperatorem quemuis opulentissimum laceffant. Quendam pridie feriarum D. Martini designatum episcopum, quod is auctus tanta dignitate, amicis coenam exhibens, et uti fit, mero sese nimium onerans, somno deinde oppressus noctu di-*
vinis,





S. Petri magnopere veneratus est, eiusque ritus ac ceremonias vbique seruari praecepit. Quo mandato effecit, vt nihil tutum esset ab immenso illo rituum agmine, quo laborabant christiani coetus, Pontificisque potentia mirifice cresceret. Statuit is praeter ceteris, vt, quae in Romana ecclesia receptae erant, Symphoniae, cantusque ratio a Gregorio M. profecta, in Gallorum et Germanorum coetus quoque introduceretur, accitis propterea ab vrbe cantoribus. g) Animo enim illius infixata erat opinio, Pon-

tifi-

vinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio mouit: intolerabilem negligentissimumque fore ratus, qui primo die sibi non temperaret, vt sui compos Deum ad iracundiam non prouocaret. Item alium laetiorum ob pontificatum donatum, atque gestientem, et ab humo in equum absque scamno, sine subpedaneo, vno impetu subsilientem, renocauit: Vales, inquit, vt video viribus, et eques haud malus es tua opera in bellis, vbi tua virtus enitescat, indigeo, proinde ignobili et imbecillo oues et gregem pecudum relinque.

g) Testatur id Caroli M. *Capitular. l. i. c. 74. Monachi vt cantum romanum pleniter et ordinabiliter per nocturnale et gradale officium peragant, secundum quod genitor noster Pipinus rex decernauit, vt fieret, quando Gallicanum cantum tulit, vnanimitatem apostolicae sedis et sanctae Dei ecclesiae pacificam concordiam. Et hanc rem confirmat EGINHARDVS c. 26. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit, erat enim vtriusque admodum eruditus, quamquam ipse nec publice legeret, nec nisi submisso et in commune cantaret. vid. omnino IO. ANDR. SCHMIDII diss. de cantoribus ecclesiae V. et N. T. p. 23. seqq.*



tificem esse successorem Petri, quod ipse fatetur l. 1. c. 6. de impio imaginum cultu hisce verbis: Sicut ceteris discipulis apostoli, et apostolis omnibus Petrus eminent; ita nimirum ceteris sedibus apostolicae, et apostolicis, Romana eminere dinoscitur. Haec enim nullis Synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed ipsius domini auctoritate primatum tenet dicentis: Tu es Petrus etc. Matth. 16. Cui non incongrue b. Pauli, doctoris gentium, est attributa societas, ut illius sanctae ecclesiae omnino firmaretur auctoritas quatenus altero ad piscandas animas electo a piscatore, altero ad muniendam ecclesiam a persecutore: ut in altero Dei filii vera confessio, in altero appareret diuini verbi sacra praedicatio; alteri concesserit idem Dei filius clauis regni coelorum, alteri clauem aperiendorum legalium verborum, utrique tamen virtutem signorum, quo alter ad eum cruce, alter gladio pergens, fidelibus arrabonem corporalis sarcinae relinquentes, et exempli fulgore et verbi decore, et sancto cruore supra dictam ecclesiam Romanam ei dicarent, quam supra solidissimam petram fundatam, nec descendens pluuia, nec venientia flumina, nec flantes venti ruere compellerent. b)



Pro-

b) Romani Pontifices eapropter Carolum summis exornarunt encomiis. Ioannes P. R. in synodo episcoporum a. 876. ita sermone instituit: *Carolus magnus rempublicam praeliis auxit, victoriis dilatauit, sapientia decorauit. Qui cum omnes ecclesias sublimasset, semper hoc ei erat in voto, semper in desiderio, sicut in gestis quae*



Propter illas igitur res gestas et agendi modum grata posteritas Carolo sancti honores, peculiaremque cultum decreuit. Sanctus fuit haud dubie, si sic is vocari debet, qui suum esse ducit, opibus sacerdotum augere, et christianae ciuitatis fines quocumque demum id fiat modo proferre. Sed inuidebunt ei, nil dubito, hanc gloriam qui fas esse negant, legionibus et propugnatoribus homines ad salutem cogere, qui Carolum externae disciplinae plus quam verae religionis studiosum fuisse contendunt, qui denique de amplificatione imperii non minus acriter eum, quam de proferendis regni Christi finibus cogitasse volunt. Vtcunque est, magnus fuit Carolus et immortalis laude dignus, maior haud dubie fuisset

quae de eo scripta sunt, legitur, ut sanctam romanam ecclesiam in antiquum statum et ordinem reformaret. Unde et hanc multis honoribus extulit, multis munificentis et liberalitatibus ampliauit, adeo ut amissas olim vrbes ei restituisset, et ex regni quoque sui parte alias non modicas contulisset. Sed pauca dicta sunt, nisi quae circa religionis incrementum gessit magna et sublimia, mererentur. Religionis quippe statum inter diuersorum errorum et prauitatum vepres incultum inuentum sacris litteris erudiuit, diuina pariter ac humana scientia perornauit, erroribus expurgauit, raris dogmatibus saginauit, atque intra breuissimum tempus ita industrio pietatis studio egit, ut nouus quodammodo videretur mundus, magnis luminaribus venustatus, et variis vernantibus floribus adornatus. vid. PITHOEI annal. et histor. Franc. script. coetaneos p. 499.



set et sanctior, si in meliores homines, ac meliora tempora incidisset. *i)*)

§. XIV.

Acriter disputatum est inter auctores praestantissimos, num Carolo institutio iudicii Vehmici sit adscribenda? Nec nego, multas heic adesse difficultates, adeo vt certi quid definire nemini liceat. Per iudicium autem Vehmicum nihil aliud quam occultum et secretum intelligitur, et fuere talia iudicia in Westphaliam haud dubie suasu Cleri, vti postea inquisitio Hispanica, introducta, vt metu illorum homines in fide continerentur. *k)*) Et fuit inter crimina
ad

i)) Multi mirantur parallelismum, quem nonnulli instituerunt inter Caroli M. systema et Protestantium theologiam. Quamuis enim haud negandum sit, omnes abusus religionis Pontificiae nondum locum inuenisse illis temporibus, quod egregie ostendit HENR. HOEPFNERVS in *Saxon. Euang. p. 236--335.* tamen infelix superstitionis lolium lumen verae ac coelestis sapientiae, vt noctua splendorem solis tolerare haud poterat. BEDA saec. 8. scriptor *expos. alleg. in Sam. l. 4. c. 3.* ita loquitur: *videat lector, nec sine lacrymis rem lacrymis dignam contempletur, quantum ecclesiae status ad peiora quotidie, vel vt mitius dicam ad infirmiora gerenda deuoluatur.* Quod se tamen adfirmat narrari, *non quasi non et hodie multos existere, multosque semper existituros perfectos in fide et veritate crediderit, sed quod maxima in parte viderit iam iamque instare tempora olim praedicta.*

k)) conf. omnino THOMASII *diff. de vera origine, natura*
pro-



ad huius iudicii cognitionem pertinentia principale crimen apostasiae. Nullus paene pristinis dubitavit temporibus Carolum iudicium illud instituisse, et primus hanc communem sententiam impugnavit a. 1625. GRYPHIANDER de *Weichbildis Saxonis* c. 54. duobus potissimum argumentis, quod scriptores coaevi Carolo hac de re taceant, et primus auctor, qui huius mentionem faciat, sit Aeneas Syluius nimis ab aevo Carolino remotus, et quod crudelitas talis non sit praesumenda de principe tam pio et prudente. Gryphiandrum oppugnavit ERICVS MAVRITIVS in diff. de iud. Rothveil. cap. I. §. 4. CONRINGIVS etiam in praef. ad libr. de orig. I. G. protestetur, se Gryphiandri librum non inspexisse, hanc tamen eius sententiam prope iisdem verbis repetiit in diff. de iud. imp. §. 40. 41. Sed didicisse vterque potuisset EX HENR. MEIBOMII *Irmensula Sax.* c. 13. a. 1612. edita, quod iam Conradi II. Imp. Capellanus WIPPO, qui vixit saec. XI. mentionem faciat, *regem confirmasse crudelissimam legem Saxonum secundum voluntatem eorum*, et quod HENR. DE HERVORDIA, qui sub Carolo IV. vixit, clarioribus longe verbis id describat. l)

I

Et


progressu et interitu iudiciorum Westphalicorum, a. 1731 hab. qui varias variorum opiniones magna adfert copia.

D) Verba eius in op. *de factis illustribus ab orbe condito ad a. 1355.* haec sunt: *Karolus in patriam, de qua antiquos Saxones fugauerat ultra Wiseram, de Francia, Efflaia, Hasbania et Ardania populum novum introducens,*



Et didicit etiam postea Conringius , vnde in opere *de orig. I. G. cap. 19.* errorem de primo auctore Aenea Syluio correxit quidem, sed tamen sententiam ipsam retinuit, partim propter silentium coaeuorum, partim propter pietatem Caroli, adeoque ortum id esse putat tempore Conradi II. Sed et haec sententia subsistere nequit, quia Wippo dicit, Conradum confirmasse legem crudelissimam, ergo iam ante eum fuit. BOECLERVS in *diff. de Wittekindo M.* hab. a. 1671. Gryphiandri sententiam tuetur, negans Wipponem intelligendum esse de iudicio Westphalico, nec ipsum Meibomium in notis ad Wittekindi annales de eo exposuisse Wipponem. Sed debuisset ponere vir cel. quid ergo per legem crudelissimam Saxonum fit intelligendum? Sane ridendi sunt, qui de speculo Saxonico locutum fuisse Wipponem credunt, aut de feueritate Saxonum fures suspendentium, quorsum tamen inclinatur Gryphian-der. Igitur supposito Wipponis loco, etsi hic auctor non sit coaeuus Carolo, et coaeui taceant, tamen diu tamen verosimile erit, a Carolo iudicium hoc esse

ducens, terram eis dedit perpetuo possidendam. Sic tamen quod regionis totius proprietatem de eo dederit, ut videlicet patriam illam in fide Christi et fidelitate regis manutenerent, propter quod et legem secreti iudicii, quod patria illius lingua Vehme dicitur, studens religionem ipsam expurgare furtis, quod terra saltuosa sit et latibunda, periuriis etiam et proditionibus, et aliis talibus, sibi crebro compertis, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter inter Rhenum et Wiseram observari sancivit,



esse quodammodo et ex parte institutum, quamvis iustam suam haud acceperit formam, donec probetur ab alio imperatore post Carolum ante Conradum II. id institutum esse. Nam pietas Caroli me non mouet. Iam examinaui, cuiusmodi ea fuerit, sufficit, quod iam eo tempore pietas maxima fuerit habita, cogere homines armis ad fidem, et punire apostatas capitaliter. *m)*

I 2

§. XV.

m) Illud docent *Capitularia* Caroli M. de partibus Saxoniae, quae satis superque ostendunt, eum hac in re non plane immunem fuisse. Ita sonat c. 3. *Si quis sanctum quadragesimale ieiunium pro despectu Christianitatis contempserit, et carnem comederit, morte moriatur. Sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte causa necessitatis hoc cuilibet proueniat, ut carnem comedat. c. 7. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, et ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur. c. 9. Si quis cum paganis consilium aduersus Christianos inierit, vel cum illis in aduersitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur: et quicumque hoc idem fraude contra regem vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur. c. 13. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commissis, aliquis sponte ad sacerdotem confugerit et confessione data agere poenitentiam voluerit testimonium Sacerdotis de morte excuset.* GVNDLINGIVS in dem Discours über die Reichs Hist. p. 194. ita loquitur: *Es ist hier vwohl zu mercken, daß ein anders ist der Ursprung, ein anders der Fortgang, vvelchen Unterscheid dieienigen, vvelche*



§. XV.


Male quoque audit Carolus noster ob excessus voluptatis, et quidem suo merito, vixit enim in concubinato, nimiamque libidinem ostendit, quod quinque vel sex aluerit concubinas. Talis femina vel adsumitur libidinis causa, vel habetur pro vxore secundaria. Priori casu repugnat scopo coniugii, posteriori moribus et sanctitati Christianorum. Coniugium enim est societas inter marem et foeminam inita, non propter generationem sobolis simpliciter, sed propter generationem cum tali educatione coniunctam, qua efficitur ne soboles brutescat, et animanti rationali dissimilis euadat. In concubinato autem non datur matrimonium perpetuum, et ad dies vitae initum, diuortiorum quoque licentia introducit. Masculus tunc modo hanc, modo illam in torum adsciscit, et pro lubitu suo iterum inde eicit, vt ita pluribus promiscue ductis vxoribus procreatio sobolis apud multos impediatur. Et qui porro etiam decora sobolis educatio expectari poterit, cum post natam prolem dimittitur mater, et saepenumero deinde pro ista licentia alia atque alia superinducitur nouerca, cui proles educanda committatur? Fit quoque per illam licentiam magna in-

vvelche hievon reden oder schreiben vollen, hätten obseruiren sollen. Alle nachhero entstandene Mißbräuche sind keinesweges Carolo M. zu attribuiren. Et ita quoque, si rem ipsam spectamus sentit HAHNIUS in der Reichs-hist. Tom. 1. p. 76.



iniuria vniuerso sexui foeminino, qui habetur pro tam vili, vt perinde ac res in commercium venientes abalienari possit pro lubitu possessoris ac domini, qualis olim misera seruorum apud Romanos et barbaras gentes erat conditio, eo autem melior, quam hac in parte sexus foeminini, qui quippe gratis ac sine pretio dimittitur. Fit insuper magna quoque iniuria singulis vxoribus a maritis suis ita pro lubitu dimissis. Praeterquam enim quod insignis contumelia fit e matrimonio dimitti, et homines inde has illasue dimissionis causas, sat saepe odiosas et noxias facile suspicentur; certe plurimum nocet feminis dimissio, cum eiusmodi dimissam non ita facile iterum ducant alii. Si dicis: volenti non fieri iniuriam, vxores, ea conditione recipi in torum, vt post tempus inde iterum emittantur, quam conditionem si acceptent foeminae, habere eas, quod sibi impudent. Tunc rehero: iniuria erat, hanc virum posuisse conditionem, eamque quod acceptauit foemina, id necesse habuit facere, ex communi hac introducta consuetudine, quae vti dixi, magna cum iniuria in sexum sequiorem coniuncta est, eoque de iure merito habetur mala et pessima. n) Intuitu quoque

n) Edidit THOMASIVS diff. de concubinato a. 1713. Illam oppugnauit IOACH. IVST. BREITHAVPT in diff. *de concubitu a Christo et Apostolis prohibito*, et IO. WOLFG. IAEGER in exam. philos. theol. diff. *cuiusdam Halensis de concub.* In foro tamen humano aliqualem meretur excusationem Carolus, quia illius temporibus fecundum



quoque liberorum multa fecit Carolus M. quae sane approbari haud possunt. Quamuis enim filios, cum primum aetas patiebatur more Francorum equitare et armis ac venationibus exerceri fecerit, filias vero lanificio assuescere, colloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iusserit omniaque haec magnam mereantur laudem: tamen non video, qua ratione compulsus sit, quod nullam filiarum, cum pulcherrimae essent, cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluerit. Nam ficulneum erat argumentum, se earum contubernio carere non posse, potius auaritia illius accutanda est, ac in ea forsitan opinione fuit filiarum maritos magnas provincias petituros esse, ac tunc illorum potentia ipsi formidanda fuisset. Propter hanc rem expertus est fortunae malignitatem: filiae enim probro impudicitiae notatae male audierunt, sed ea siue crimina siue maledicta patienter tulit, dissimulauitque. o) Naeuis Caroli politicis adnumeranda diuisio regni inter filios instituta, sed illa effectum sortita haud est, natus enim maximus Carolus et Pipinus ante obitum patris, rebus humanis exempti sunt. p)

§. XVI.

cundum constitutiones ecclesiae concubinatus certis sub conditionibus erat permissus, quod ostendit HAHNIVS *in der Reichs-hist. Tom. I. p. 90. not. k.*

o) vid. EGINHARDVS *c. 19.* AVENTINVS *in annal. Boi. l. 4. c. 8. n. 19.* addatur HAHNIVS *loc. cit. not. l.*


p) AVENTINVS *lib. 4. c. 5. n. 25.* ita loquitur: *Rebus Dalmaticis*



§. XVI.

Carolo M. mortuo vastum illud Francorum regnum decus suam ac robur amisit, ac prouerbum illud notissimum: male parta, mox dilabuntur, et heic obtinuit locum. Reliquit quidem filium Ludouicum pi-
vir-

ticis absolutis Imperator consilium principum habet, in quo imperium ne qua discordia, turbaue post suam mortem concitaretur, ita inter tres filios diuidi placuit, ut ipse quidem summam eius quoad viueret, obtineat. Ceterum post fata demum parentis suam quisque filius hereditatem adeat. Hispania citra Iberum amnem, Vasconia, Aquitania a Ligeri amne praeter Turones, Narbonensis Gallia, Alpes littoreae et Cottiae, ubi sunt Tarrantasia et vallis Segusiana, Ludouico destinata sunt. Italiam vero cum Castris, Liburnia, Dalmatia, Pannonia atque Noricum, cum Rhaetia, Suenia, excepta Augusta, tractuque Lyci cum Vindelicia, Boiaria, usque ad Danubii confluenta, cum Angilostadio et Lautershouen, quae in ulteriore Danubii ora sita sunt, Pipinus obtinere iussus est. Cetera nempe Gallia Lugdunensis, Celtae, Belgae, Germania, Francia, Turogi, Saxonia, Frisii, Venedi, Suenia ultra Danubium, Aquilonem spectans, cum Augusta Rhetiae: item Boiariae pars septentrionalis ultra Histrum, praeter Angilostadium et Lautershofen Carolo, qui maximus natus erat, cesserunt. Eidem in finibus Ludouici ager Turonensis, Pipini vero Augusta Rhetiae data, sicut Pipino in regno Caroli Angilostadium et Lautershouen attributa sunt. Cuique enim fratrum in alterius parte urbes et agri dati sunt, quo commodius alius alii esse auxilio possent: cum vicissim aditus pateret, et quisque in fratris sui finibus domicilium, quo se reciperet, possideret.



virtutum haud fuit haeres, potius sibi ac regno per imprudentiam, simplicitatem ac superstitionem plurimum nocuit. Postea, institutae saepius diuisiones, irruptiones barbarorum, ac bella intestina numerosam Carolingorum familiam breui temporis spatio destruxerunt. Etenim in Germania stirps illa cum Ludouico IV. a. 911. exaruit, qui moriens res valde turbatas reliquit. In Gallia vero totalis interitus secutus est a. 987. Ludouico ignauo rebus humanis exempto. Superfuit tunc Carolus patruus eius, Dux Lotharingiae, illi ob acceptatam ab Ottone germ. imp. inuestituram in Lotharingiae ducatum contemptus atque odium apud Gallos conflatum est, vnde nulla eius ratione habita Proceres Hugonem Capetum Comitem Parisiensem Regem salutarunt. Conatus quidem est Carolus ius suum armis vindicare, sed fatis obluendo nil nisi exitium quaeri, suo malo sensit. Vberius hoc deducere possem, sed limites dissertationis illud haud permittunt, ea propter vela contrahenda ac labori finis imponendus erit. Fateor me tam ampla bibliotheca, tantoque eruditionis apparatu haud instructum fuisse, vt omnes naeuos euitare potuerim. Si itaque omnia ad amissim fatis non perpolita, vel temere nimis ac crude pertractata sunt, Tui candoris erit L. B. ea bono interpretari animo, nunquam enim hallucinari, supra captum hominis est. Interim tenuitatis probe conscius, in praesenti arduam hanc et amplissimam materiam leui saltem penicillo adumbrare volui, veniamque beneuolam haud mihi denegabis, politiora et doctiora suo tempore, vbi per aetatis ac experientiae maturitatem licebit, datur.

Co-



Corollaria.

I. Vocibus animum pascere, non rebus, magna est insania, et saepius hac in re per illorum, qui iuventuti formandae praesunt, inscitiam, praesertim apud nos Germanos peccatur, dum teneram adolescentum aetatem cum magno temporis et ingenii damno, ita in linguis erudiunt, ut a dulci cognitione rerum, quae est et rationis et eloquentiae decus ac directrix, nuda maneat ac vacua. II. Philosophi non minus fiunt, quam nascuntur. III. Abiecta philosophia omnes disciplinae robur ac decus suum amittunt, adeoque recte dicitur: ubi desinit philosophus, ibi incipit Medicus, Ictus, Theologus. IV. Christiani feliciter philosophantur quam aliae gentes. Oracula enim diuina miseriae humanae certissima pandunt principia. V. Non datur amor purus omni vel fruitione vel spe boni carens. VI. Qui entia simplicia vel Monades negat, ille in effectu negat, Deum et mundum existere. VII. Malum quod oritur in hoc mundo, Deus nec vult nec potest impedire. VIII. Voluntas hominis cogi nequit. IX. Nullus homo unquam habuit ideam adaequatam. X. Leibnitius erravit omnibus entibus simplicibus facultatem mundi repraesentatiuam tribuens. XI. Excepta reuelatione omnis humana scientia est philosophica. XII. Opinio illa de mundorum pluralitate, probabilitate nititur. XIII. Quicumque hypotheses de commercio animae et corporis rite considerat, facile videt, multis adhuc dubiis illam materiam esse obnoxiam, adeoque tutissimum est dicere: baud liquet. XIV. In se non minoris pretii sunt nobiles, qui virtute togata hanc dignitatem consecuti sunt, quam

K

quam

quam illa non tam in oculos incurrat, quam virtus bellica. XV. Mos Sinensium, ubi pauperrimo cuique per litteras patet iter ad summa, non est absurdus. XVI. Americae detectionis gloria non Italis, sed Germanis nostris et praecipue Martino Behaim Noribergensi, debetur. XVII. Pontifices sibi ipsis nocuerunt, a academiis constituendis. XVIII. Papa reformationi occasionem praebuit. XIX. Ultima Davidis voluntas, ubi de morte Simei et Iobi actum, non vituperanda est. XX. Omnia Caroli XII. Sueciae regis bella fuere iusta. XXI. Opus illud Babylonicum a descendantibus Chami inchoatum, fuit saltem oppidum munitum, et non alta turris, uti plerumque describitur. XXII. Confusio linguarum, qua id opus impeditum est, nihil aliud fuit quam dissensio inter aedificantes orta. XXIII. Ille vulgo sic dictus Praetendent quamvis verus Iacobi II. filius fuisset, tamen iure regno carere debuisset. XXIV. Postremus ille, dicens se Sebastianum Port regem esse, non fuit impostor. XXV. Nullus historicus profanus omni fide dignus est. XXVI. Pars maxima Europae hodie a Germanis habitatur. XXVII. Non accurate illi loquuntur, qui Ethicam et Politicam Philosophiae Practicae partes, reliquam philosophiam theoreticam dicunt, nam et illae simul actinae et speculativae sunt, neque Physica sola contemplatione absolvitur. XXVIII. Iulianus Imp. saec. 4. concessit quidem Iudaeis facultatem Hierosolymam redeundi et templum aedificandi, sed per divina miracula templum illud, quod moliebantur reficere, funditus eversum est. XXIX. Quae de legione fulminatrice tota Christiana sub Antonino Philosopho narrantur, falsa sunt. XXX. Errat Hottingerus in hist. eccl. dum assueverat, Adrianum VI. P. R. ad auertendam pestem, quae gravissime in urbe saeviebat, Mago Demetrio graeco concessisse, ut sylvestrem taurum Diis gentilium, ad placandam eorum iram mactaret.

GENE-



GENEROSISSIMO
DISSERTATIONIS
AVCTORI
LIB. BAR.
DE WARTENSLEBEN

S. P. D.

C. F. E. BIERLING.

Vetustissimum prouerbum est : amicorum omnia esse communia, nec quicquam alteri contingere, quod non alter simul sibi contigisse existimet. Non possum igitur non generosissime Domine, ex Tuis in litterarum studiis progressibus incredibilem capere voluptatem, quia ab ineunte aetate egregiam habui occasionem arctissimam Tecum contrahendi amicitiam. Vix quartum aetatis annum attigeras, cum in meam venires notitiam, ac quia oculi, frons, vultus, oris habitus ac lineamentorum omnium qualitas, descriptio et congruentia pulcherrima, virtutis ac modestiae imaginem referebant, immo repraesentabant, magna de Te ac egregia quaeuis sperabam. Posteaquam



K 2

autem

autem m. Martio a. clōlōcccxxxiv. ad hanc Musarum
accederes sedem, in illo aetatis flore, quo nondum de-
cimum tertium compleueras annum, tanta iam fuit
Tua scientia in humanioribus ac elegantioribus lit-
teris, vt eo maiori cum fructu studia academica per-
tractare Tibi integrum fuerit. Id enim apud nos am-
plissima mensura impleuisti, qui nec industria nun-
quam remissa, nec morum venustate omnes Tibi de-
vinciente, nec exspectatione, quam facis pulcherri-
ma, cuiquam hominum vnquam concessisti. Vix
autem iucundius quicquam in vita mea accidit, quam
quod mihi quoque occasio suppeditata sit, ingenio
Tuo felicissimo, doctrinas generosa indole dignas,
instillare, ac facile sensi, hic me posse cum foenore
amplissimo laborare. Opera igitur priuatissima clar.
FREYERI *historiam vniuersalem*, acutissimi FROBESII
*breuem ac dilucidam systematis philosophiae Wolffia-
nae delineationem*, ac eruditissimi HEVMANNI ele-
gantissimum *reip. litterariae conspectum* considera-
vimus, ac omnia per frequentem conuersationem
repetita sunt, vt eo magis animo infixata haerent.
Priuatim meo sub ductu *bis Logicam*, porro *Ethicam*,
ac *selecta historiae vniuersalis capita* audiuisti, ac *no-
titiam statuum Europae* duce celeb. SCHMEIZELIO tibi
acquisiisti. Per integrum quoque biennium nobile
membrum *collegii disputatorii priuati* fuisti, et sae-
pissime Tuam in opponendo ac respondendo dexte-
ritatem ego ac suauissimi commilitones admirati su-
mus. Nunc publice hac dissertatione, proprio Marte
elaborata, ostendis, quid valeant humeri, nec credo
fine



fine omine ac bono confilio factum esse, quod ad argumentum praefens excutiendum Te accingeres, invictissimus etenim Carolus, cuius virtutes ac naeuos consideras, et Tuae familiae maximus fuit Patronus, quod testatur gloriosissimae memoriae Imperator IOSEPHVS in diplomate, auunculo Tuo magno illust. S. R. I. Comiti ALEXANDRO HERMANNO DE WARTENSLEBEN Pot. Bor. Regis supremo campi Mareschallo cet concessio, et Viennae a. 1706. d. 29. Mart. publicato, sequentibus verbis: *vvann vvir nun gnädiglich angesehen, vvahrgenommen und betrachtet, uns auch glaubvvürdig vortragen lassen, daß nicht nur bey 1000. Iabr gestandene vhralte adeliche Geschlechterer von Wartensleben auf verschiedene Art sich be- rühmt gemacht, massen bereits zu unsers Vorfabren am Reich Carl des Grossen Zeiten desselben vhr- An- Herr Comes et Armiger genannt, auch als ein Edler Herr mit Schild und Helm begnadiget, und über dieses von diesem Geschlechte ehemals die gewesene Graf- schafft Schwerin beherrschet worden, sondern auch und vornemlich u. s. w.* Ideo non sine summa animi laetitia Tecum cathedram conscendo, amice integerime, facileque praeuideo, Te meo praesidio carere potuisse, eapropter spectator ac comes tantummodo ero pugnae Tuae, meoque auxilio Tibi in defensione Tuae exercitationis haud opus erit. Perge nunc qua coepisti via, et nunquam obliuiscere, a quibus et in quam spem sis genitus, gloriamque maiorum, lumen posteris esse, cogita. Nauiter incumbe porro in solidioris doctrinae studia, ac iis Te adiunge, qui-
bus



bus animus integer est, sincerus ac constans. Ostende et imposterum virtutem Tuam, quae nescit in tenebris latere, et quamvis ab omni ostentatione aliena sit, tamen in publicum prorumpit, non vt inanem et ventosam aucupetur gloriolam, sed vt profit aliis, suamque Deo et hominibus inseruendi declaret promptitudinem. Et eo Te animo semper praeditum fuisse, nunc quoque Tuo comprobas exemplo, qui publicum non fugis hominum conspectum, sed cathedram conscendendo prodis, Te non Tibi sed publico natum esse, Teque omni nisu eo contendere, vt submotis hodiernis Reipublicae fulcris alia aeque solida substitui possint. Haud vana spe demulces nostram expectationem, siquidem in ipsa iuuenili aetate, talia edis virtutum Tuarum specimina, quae ipsos Tuos praecceptores in admirationem rapiunt. Ego Deum iugiter precabor, velit et imposterum Tibi adesse, ac pro infinita sua benignitate efficere, vt Tu illam gloriam ac laudem per litterarum studia consequaris, quam multi ex illustrissima Tua familia per fortitudinem bellicam adepti sunt. Seruet immortale Numen Perillust. TUUM PARENTEM, Patronum meum certissimum, vt EI subinde vberimam gaudendi materiam suppeditare possis. Ceterum inter fortunae Tuae, quae Te exspectat, incrementa, mei vt memor sis, officiose rogo, qui nunquam non Te amabo iuxta veneraborque. Vale.

Scrib. in acad. Ernest. d. V. Iul.

clō lōcc xxxviii.



Magnos